This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 2044 010 467 561

L o 10.201.9

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

Magyar tudományos akad., Budapest, Hungary.

EDITIONES CRITICÆ

SCRIPTORUM GRÆCORUM ET ROMANORUM

A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

PUBLICI IURIS FACTÆ.

P. OVIDII NASONIS

AMORES

BUDAPESTINI

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ

MCMVII.

P. OVIDII NASONIS

AMORES

EDIDIT, ADNOTATIONIBUS EXEGETICIS ET CRITICIS

INSTRUXIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

MCMVII.

Lo 10.201.9

HARVARD COLLEGE
OCT 10 1908
LIBRARY.

Constantius fund

FRANKLIN-TÁRSULAT NYOMDÁJA.

PRÆFATIO.

Cum post Lemarii editionem Lutetiæ Parisiorum a. MDCCCXX. publici iuris factam nemo huc usque inventus esset, qui Ovidii Amores novo commentario exegetico viris doctis destinato ornaret, suscepi hunc laborem mihi sane iucundissimum, omnibus, qui Ovidio aliqua ex parte operam navare volunt, præcipueque iuventuti antiquitatis studiosæ gratum me facturum putans.*

Sed, ne quis plura in libro meo quaerat, quam quæ præstare potui et volui, lectores hoc loco admoneo in adnotationibus conficiendis duo tantum mihi fuisse proposita: primum, ut elegias Ovidii brevi interpretatione, quæ dicitur, verbali instruerem, deinde, ut accuratissime, quid poeta magistris suis, inprimis Propertio et Tibullo, præterea Horatio, Catullo et Lygdamo deberet, exponerem. Quod enim ad Lygdamum inter auctores Ovidii attinet, necessitudinem, quæ inter eum et Ovidium intercedit, diligentius, quam antea factum est, definivi in editione Lygdami, ubi satis luculenter demonstravi Ovidium fuisse imitatorem et in omnibus fere libris eius apparere Lygdami vestigia. Præterea mox totam hanc quæstionem peculiari tractabimus libello.

* Eodem consilio edidi sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ Tibullum una cum Sulpicia (Budapestini, a MCMV.) et Lygdamum una cum Panegyrico Messallæ (ibidem, a. MCMVI.) commentario exegetico instructos.

Ceterum commentario meo, ut iam in editione Tibulli et Lygdami feceram, non solum virorum doctorum, sed etiam civium Academicorum rationibus consulere volui, quare ne faciliores quidem locos silentio prætermittendos putavi. Si quis igitur in hoc libello multa sibi supervacua invenerit, ignoscere mihi debebit præceptori iuventutis et amico.

Dabam Budapestini mense Ianuario a. MCMVII.

Geyza Némethy
Academiæ Litterarum Hungaricæ sodalis.

P. OVIDII NASONIS AMORES.

Crede mihi, distant mores a carmine nostro:
Vita verecunda est, Musa iocosa mea,
Magnaque pars mendax operum est et ficta meorum:
Plus sibi permisit compositore suo.

Ov. Trist. II. 353—356.

P. OVIDII NASONIS AMORES.

LIBER PRIMUS.

EPIGRAMMA IPSIUS.

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus: hoc illi prætulit auctor opus;
Ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
At levior demptis poena duobus erit.

I.

Arma gravi numero violentaque bella parabam
Edĕre, materia conveniente modis;
Par erat inferior versus: risisse Cupido
Dicitur atque unum surripuisse pedem.
«Quis tibi, sæve puer, dedit hoc in carmina iuris?
Pieridum vates, non tua turba sumus.
Quid si præripiat flavæ Venus arma Minervæ,
Ventilet accensas flava Minerva faces?
Quis probet in silvis Cererem regnare iugosis,
Lege pharetratæ virginis arva coli?
Crinibus insignem quis acuta cuspide Phœbum
Instruat, Aoniam Marte movente lyram?
Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna:
Cur opus adfectas, ambitiose, novum?
An, quod ubique, tuumst? tua sunt Heliconia tempe?

Vix etiam Phœbo iam lyra tuta suast?
Cum bene surrexit versu nova pagina primo,
Attenuat nervos proximus ille meos;
Nec mihi materiast numeris levioribus apta,
Aut puer aut longas compta puella comas.»
Questus eram, pharetra cum protinus ille soluta
Legit in exitium spicula facta meum
Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum
«Quod» que «canas, vates, accipe» dixit «opus!»
Me miserum! certas habuit puer ille sagittas:
Uror, et in vacuo pectore regnat Amor.
Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat:
Ferrea cum vestris bella valete modis!
Cingere litorea flaventia tempora myrto,
Musa, per undenos emodulanda pedes!

II.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent,
Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi,
Lassaque versati corporis ossa dolent?
Nam, puto, sentirem, siquo temptarer amore.
An subit et tecta callidus arte nocet?
Sic erit: haeserunt tenues in corde sagittæ,
Et possessa ferus pectora versat Amor.
Cedimus an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus! leve fit, quod bene fertur, onus:
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas
Et vidi nullo concutiente mori;
Verbera plura ferunt, quam quos iuvat usus aratri,
Detractant prensi dum iuga prima boves;

Asper equus duris contunditur ora lupatis,
  Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.
Acrius invitos multoque ferocius urget,
  Quam qui servitium ferre fatentur, Amor.
En ego confiteor: tua sum nova præda, Cupido;
  Porrigimus victas ad tua iura manus.
Nil opus est bello: veniam pacemque rogamus,
  Nec tibi laus armis victus inermis ero.
Necte comam myrto, maternas iunge columbas!
  Qui deceat, currum vitricus ipse dabit,
Inque dato curru, populo clamante triumphum,
  Stabis et adiunctas arte movebis aves;
Ducentur capti iuvenes captæque puellæ:
  Hæc tibi magnificus pompa triumphus erit.
Ipse ego, præda recens, factum modo vulnus habebo
  Et nova captiva vincula mente feram;
Mens Bona ducetur manibus post terga retortis
  Et Pudor et castris quidquid Amoris obest.
Omnia te metuent, ad te sua bracchia tendens
  Vulgus «io» magna voce «triumphe» canet.
Blanditiæ comites tibi erunt Errorque Furorque,
  Adsidue partes turba secuta tuas:
His tu militibus superas hominesque deosque,
  Hæc tibi si demas commoda, nudus eris.
Læta triumphanti de summo mater Olympo
  Plaudet et adpositas sparget in ora rosas,
Tu pinnas gemma, gemma variante capillos
  Ibis in auratis aureus ipse rotis.
Tunc quoque non paucos, si te bene novimus, ures,
  Tunc quoque præteriens vulnera multa dabis;
Non possunt, licet ipse velis, cessare sagittæ,
  Fervida vicino flamma vapore nocet.

Talis erat domita Bacchus Gangetide terra:
Tu gravis alitibus, tigribus ille fuit.
Ergo cum possim sacri pars esse triumphi,
Parce tuas in me perdere, victor, opes!
Adspice cognati felicia Cæsaris arma:
Qua vicit, victos protegit ille manu.

III.

Iusta precor: quæ me nuper prædata puellast,
Aut amet aut faciat, cur ego semper amem!
A, nimium volui! tantum patiatur amari:
Audierit nostras tot Cytherea preces!
Accipe, per longos tibi qui deserviat annos,
Accipe, qui pura norit amare fide!
Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina, si nostri sanguinis auctor eques,
Nec meus innumeris renovatur campus aratris,
Temperat et sumptus parcus uterque parens:
At Phœbus comitesque novem vitisque repertor
Hinc faciunt, at me qui tibi donat, Amor,
Et nulli cessura fides, sine crimine mores
Nudaque simplicitas purpureusque pudor.
Non mihi mille placent, non sum desultor amoris:
Tu mihi, siqua fides, cura perennis eris;
Tecum, quos dederint annos mihi fila sororum,
Vivere contingat teque dolente mori;
Te mihi materiem felicem in carmina præbe:
Provenient causa carmina digna sua.
Carmine nomen habent exterrita cornibus Io
Et quam fluminea lusit adulter ave
Quæque super pontum simulato vecta iuvenco

Virginea tenuit cornua vara manu:
Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem.
Iunctaque semper erunt nomina nostra tuis.

IV.

Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem:
Ultima cœna tuo sit, precor, illa viro.
Ergo ego dilectam tantum conviva puellam
Adspiciam? tangi quem iuvet, alter erit,
Alteriusque sinus apte subiecta fovebis?
Iniciet collo, cum volet, ille manum?
Desine mirari, posito quod candida vino
Atracis ambiguos traxit in arma viros: [hærent:
Nec mihi silva domus, nec equo mea membra co-
Vix a te videor posse tenere manus.
Quæ tibi sint facienda tamen, cognosce nec Euris
Da mea nec tepidis verba ferenda Notis!
Ante veni, quam vir! nec quid, si veneris ante,
Possit agi, video, sed tamen ante veni!
Cum premet ille torum, vultu comes ipsa modesto
Ibis, ut accumbas, clam mihi tange pedem;
Me specta nutusque meos vultumque loquacem,
Excipe furtivas et refer ipsa notas!
Verba superciliis sine voce loquentia dicam:
Verba leges digitis, verba notata mero.
Cum tibi succurret Veneris lascivia nostræ,
Purpureas tenero pollice tange genas;
Siquid erit, de me tacita quod mente queraris,
Pendeat extrema mollis ab aure manus;
Cum tibi, quæ faciam, mea lux, dicamve, placebunt,
Versetur digitis anulus usque tuis!

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro!
Quod tibi miscuerit, (sapias!) bibat ipse, iubeto:
Tu puerum leviter posce, quod ipsa voles;
Quæ tu reddideris, ego primus pocula sumam
Et, qua tu biberis, hac ego parte bibam.
Si tibi forte dabit, quod prægustaverit ipse,
Reice libatos illius ore cibos,
Nec premat inpositis sinito tua colla lacertis,
Mite nec in rigido pectore pone caput,
Nec sinus admittat digitos habilesve papillæ,
Oscula præcipue nulla dedisse velis!
Oscula si dederis, fiam manifestus amator
Et dicam «mea sunt» iniciamque manum.
Hæc tamen adspiciam, sed quæ bene pallia celant,
Illa mihi cæci causa timoris erunt.
Nec femori committe femur nec crure cohære
Nec tenerum duro cum pede iunge pedem!
Multa miser timeo, quia feci multa proterve,
Exemplique metu torqueor ipse mei:
Sæpe mihi dominæque meæ properata voluptas
Veste sub iniecta dulce peregit opus.
Hoc tu non facies; sed, ne fecisse puteris,
Conscia de tergo pallia deme tuo!
Vir bibat, usque roga (precibus tamen oscula desint!)
Dumque bibit, furtim, si potes, adde merum!
Si bene conpositus somno vinoque iacebit,
Consilium nobis resque locusque dabunt.
Cum surges abitura domum, surgemus et omnes,
In medium turbæ fac memor agmen eas:
Agmine me invenies aut invenieris in illo;
Quidquid ibi poteris tangere, tange mei!

Me miserum! monui, paucas quod prosit in horas:
Separor a domina nocte iubente mea.
Nocte vir includet, lacrimis ego mæstus obortis,
Qua licet, ad sævas prosequar usque fores;
Oscula iam sumet, iam non tantum oscula sumet:
Quod mihi das furtim, iure coacta dabis.
Verum invita dato (potes hoc) similisque coactæ;
Blanditiæ taceant, sitque maligna Venus!
Si mea vota valent, illum quoque ne iuvet, opto,
Si minus, at certe te iuvet inde nihil;
Sed quæcumque tamen noctem fortuna sequetur,
Cras mihi constanti voce dedisse nega!

V.

Aestus erat, mediamque dies exegerat horam:
Adposui medio membra levanda toro.
Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestræ,
Quale fere silvæ lumen habere solent,
Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo,
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies:
Illa verecundis lux est præbenda puellis,
Qua timidus latebras speret habere pudor.
Ecce, Corinna venit, tunica velata recincta,
Candida dividua colla tegente coma:
Qualiter in thalamos famosa Semiramis isse
Dicitur et multis Lais amata viris.
Deripui tunicam; nec multum rara nocebat,
Pugnabat tunica sed tamen illa tegi;
Quæ cum ita pugnaret, tamquam quæ vincere nollet,
Victast non ægre proditione sua.
Ut stetit ante oculos posito velamine nostros,

In toto nusquam corpore menda fuit.
Quos umeros, quales vidi tetigique lacertos!
Forma papillarum quam fuit apta premi!
Quam castigato planus sub pectore venter!
Quantum et quale latus! quam iuvenale femur!
Singula quid referam? nil non laudabile vidi
Et nudam pressi corpus ad usque meum.
Cetera quis nescit? lassi requievimus ambo.
Proveniant medii sic mihi sæpe dies!

VI.

Ianitor, indignum, dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem!
Quod precor, exiguumst: aditu fac ianua parvo
Obliquum capiat semiadaperta latus!
Longus amor tales corpus tenuavit in usus
Aptaque subducto corpore membra dedit;
Ille per excubias custodum leniter ire
Monstrat, inoffensos dirigit ille pedes.
At quondam noctem simulacraque vana timebam;
Mirabar, tenebris quisquis iturus erat:
Risit, ut audirem, tenera cum matre Cupido
Et leviter «fies tu quoque fortis» ait.
Nec mora, venit amor: non umbras nocte volantis,
Non timeo strictas in mea fata manus;
Te nimium lentum timeo, tibi blandior uni:
Tu, me quo possis perdere, fulmen habes.
Adspice, (uti videas, inmitia claustra relaxa!)
Uda sit ut lacrimis ianua facta meis!
Certe ego, cum posita stares ad verbera veste,
Ad dominam pro te verba tremente tuli;

Ergo quæ valuit pro te quoque gratia quondam,
Heu facinus! pro me nunc valet illa parum?
Redde vicem meritis! grato licet esse! quid obstat?
Tempora noctis eunt; excute poste seram!
Excute: sic umquam longa relevere catena,
Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua!
Ferreus orantem nequiquam, ianitor, audis,
Roboribus duris ianua fulta riget.
Urbibus obsessis clausæ munimina portæ
Prosunt: in media pace quid arma times?
Quid facies hosti, qui sic excludis amantem?
Tempora noctis eunt; excute poste seram!
Non ego militibus venio comitatus et armis:
Solus eram, si non sævus adesset Amor;
Hunc ego, si cupiam, nusquam dimittere possum:
Ante vel a membris dividar ipse meis.
Ergo Amor et modicum circa mea tempora vinum
Mecumst et madidis lapsa corona comis.
Arma quis hæc timeat? quis non eat obvius illis?
Tempora noctis eunt; excute poste seram!
Lentus es: an somnus, qui te male perdat, amantis
Verba dat in ventos aure repulsa tua?
At, memini, primo, cum te celare volebam,
Pervigil in mediæ sidera noctis eras.
Forsitan et tecum tua nunc requiescit amica:
Heu! melior quanto sors tua sorte mea!
Dummodo sic, in me duræ transite catenæ!
Tempora noctis eunt; excute poste seram!
Fallimur, an verso sonuerunt cardine postes.
Raucaque concussæ signa dedere fores?
Fallimur: inpulsast animoso ianua vento.
Ei mihi! quam longe spem tulit aura meam!

Si satis es raptæ, Borea, memor Orithyiæ,
Huc ades et surdas flamine tunde foris!
Urbe silent tota, vitreoque madentia rore
Tempora noctis eunt; excute poste seram!
Aut ego iam ferroque ignique, o ianitor, ipso,
Quem face sustineo, tecta superba petam.
Nox et Amor vinumque nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat, Liber Amorque metu.
Omnia consumpsi, nec te precibusque minisque
Movimus, o foribus durior ipse tuis:
Non te formosæ decuit servare puellæ
Limina, sollicito carcere dignus eras;
Iamque pruinosos molitur Lucifer axes,
Inque suum miseros excitat ales opus.
At tu, non lætis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte iace:
Tu dominæ, cum te proiectam mane videbit,
Temporis absumpti tam male testis eris.
Qualiscumque vale sentique abeuntis honorem;
Lente nec admisso turpis amante, vale!
Vos quoque, crudeles rigido cum limine postes
Duraque conservæ ligna, valete, fores!

VII.

Adde manus in vincla meas (meruere catenas),
Dum furor omnis abit, siquis amicus ades!
Nam furor in dominam temeraria bracchia movit:
Flet mea væsana læsa puella manu.
Tunc ego vel caros potui violare parentes
Sæva vel in sanctos verbera ferre deos.
Quid? non et clipei dominus septemplicis Aiax

Stravit deprensos lata per arva greges,
Et, vindex in matre patris, malus ultor, Orestes
Ausus in arcanas poscere tela deas?
Ergo ego digestos potui laniare capillos?
Nec dominam motæ dedecuere comæ:
Sic formosa fuit; talem Schœneida dicam
Mænalias arcu sollicitasse feras;
Talis periuri promissaque velaque Thesei
Flevit præcipites Cressa tulisse Notos;
Sic, nisi vittatis quod erat Cassandra capillis,
Procubuit templo, casta Minerva, tuo.
Quis mihi non «demens!» quis non mihi «barbare!» dixit?
Ipsa nihil: pavidost lingua retenta metu;
Sed taciti fecere tamen convicia vultus,
Egit me lacrimis ore silente reum.
Ante meos umeris vellem cecidisse lacertos:
Utiliter potui parte carere mei;
In mea væsanas habui dispendia vires
Et valui pœnam fortis in ipse meam.
Quid mihi vobiscum, cædis scelerumque ministræ?
Debita sacrilegæ vincla subite manus!
An, si pulsassem minimum de plebe Quiritem,
Plecterer: in dominam ius mihi maius erit?
Pessima Tydides scelerum monimenta reliquit:
Ille deam primus perculit: alter ego!
Et minus ille nocens: mihi, quam profitebar amare,
Læsast, Tydides sævus in hoste fuit.
I nunc, magnificos victor molire triumphos,
Cinge comam lauro votaque redde Iovi,
Quæque tuos currus comitantum turba sequetur,
Clamet «io! forti victa puella virost!»
Ante eat effuso tristis captiva capillo,

Si sinerent læsæ, candida tota, genæ.
Aptius inpressis fuerat livere labellis
Et collo blandi dentis habere notam.
Denique, si tumidi ritu torrentis agebar,
Cæcaque me prædam fecerat ira suam,
Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ
Nec nimium rigidas intonuisse minas
Aut tunicam summa deducere turpiter ora
Ad mediam? mediæ zona tulisset opem.
At nunc sustinui raptis a fronte capillis
Ferreus ingenuas ungue notare genas:
Adstitit illa amens albo et sine sanguine vultu,
Cæduntur Pariis qualia saxa iugis;
Exanimis artus et membra trementia vidi,
Ut cum populeas ventilat aura comas,
Ut leni Zephyro gracilis vibratur harundo,
Summave cum tepido stringitur unda Noto;
Suspensæque diu lacrimæ fluxere per ora,
Qualiter abiecta de nive manat aqua.
Tunc ego me primum cœpi sentire nocentem:
Sanguis erat lacrimæ, quas dabat illa, meus.
Ter tamen ante pedes volui procumbere supplex:
Ter formidatas reppulit illa manus.
At tu ne dubita (minuet vindicta dolorem)
Protinus in vultus unguibus ire meos,
Nec nostris oculis nec nostris parce capillis:
Quamlibet infirmas adiuvat ira manus;
Neve mei sceleris tam tristia signa supersint,
Pone reconpositas in statione comas!

VIII.

Est quædam (quicumque volet cognoscere lenam,
Audiat!), est quædam nomine Dipsas anus.
Ex re nomen habet: nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.
Illa magas artes Aeæaque carmina novit
Inque caput liquidas arte recurvat aquas;
Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.
Cum voluit, toto glomerantur nubila cælo;
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.
Sanguine, siqua fides, stellantia sidera vidi;
Purpureus Lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
Suspicor et pluma corpus anile tegi;
Suspicor, et famast; oculis quoque pupula duplex
Fulminat, et gemino lumen ab orbe micat;
Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris
Et solidam longo carmine findit humum.
Hæc sibi proposuit thalamos temerare pudicos;
Nec tamen eloquio lingua nocente caret.
Fors me sermoni testem dedit; illa monebat
Talia (me duplices occuluere fores):
«Scis here te, mea lux, iuveni placuisse beato?
Hæsit et in vultu constitit usque tuo.
Et cur non placeas? nulli tua forma secundast;
Me miseram! dignus corpore cultus abest.
Tam felix esses quam formosissima, vellem:
Non ego, te facta divite, pauper ero.
Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis:
Mars abiit; signo nunc Venus apta suo.

Prosit ut adveniens, en adspice, dives amator
Te cupiit; curæ, quid tibi desit, habet.
Est etiam facies, quæ se tibi conparet, illi:
Si te non emptam vellet, emendus erat.»
Erubuit. «Decet alba quidem pudor ora, sed iste,
Si simules, prodest; verus obesse solet.
Cum bene deiectis gremium spectabis ocellis,
Quantum quisque ferat, respiciendus erit.
Forsitan inmundæ Tatio regnante Sabinæ
Noluerint habiles pluribus esse viris;
Nunc Mars externis animos exercet in armis,
At Venus Aeneæ regnat in urbe sui.
Ludunt formosæ: castast, quam nemo rogavit;
Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.
Has quoque, quæ frontis rugas in vertice portant,
Excute: de rugis crimina multa cadent.
Penelope iuvenum vires temptabat in arcu:
Qui latus argueret, corneus arcus erat.
Labitur occulte fallitque volubilis ætas,
Ut celer admissis labitur amnis aquis.
Aera nitent usu, vestis bona quærit haberi,
Canescunt turpi tecta relicta situ:
Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit,
Nec satis effectus unus et alter habent.
Certior e multis nec iam invidiosa rapinast:
Plena venit canis de grege præda lupis.
Ecce, quid iste tuus præter nova carmina vates
Donat? amatoris milia multa feres.
Ipse deus vatum palla spectabilis aurea
Tractat inauratæ consona fila lyræ.
Qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero:
Crede mihi, res est ingeniosa dare.

Nec tu, siquis erit capitis mercede redemptus,
Despice: gypsati crimen inane pedis.
Nec te decipiant veteres circum atria ceræ:
Tolle tuos tecum, pauper amator, avos!
Qui, quia pulcher erit, poscet sine munere noctem,
Quod det, amatorem flagitet ante suum!
Parcius exigito pretium, dum retia tendis,
Ne fugiant; captos legibus ure tuis!
Nec nocuit simulatus amor; sine, credat amari,
At cave, ne gratis hic tibi constet amor!
Sæpe nega noctes: capitis modo finge dolorem,
Et modo, quæ causas præbeat, Isis erit;
Mox recipe, ut nullum patiendi colligat usum,
Neve relentescat sæpe repulsus amor.
Surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti;
Audiat exclusi verba receptus amans;
Et, quasi læsa prior, nonnumquam irascere læso:
Vanescit culpa culpa repensa tua.
Sed numquam dederis spatiosum tempus in iram:
Sæpe simultates ira morata facit.
Quin etiam discant oculi lacrimare coacti,
Et faciant udas ille vel ille genas;
Nec, siquem falles, tu periurare timeto:
Commodat in lusus numina surda Venus.
Servus et ad partes sollers ancilla parentur,
Qui doceant, apte quid tibi possit emi;
Et sibi pauca rogent: multos si pauca rogabunt,
Postmodo de stipula grandis acervus erit.
Et soror et mater, nutrix quoque carpat amantem:
Fit cito per multas præda petita manus.
Cum te deficient poscendi munera causæ,
Natalem libo testificare tuum!

Ne securus amet nullo rivale, caveto:
Non bene, si tollas prœlia, durat amor.
Ille viri videat toto vestigia lecto
Factaque lascivis livida colla notis;
Munera præcipue videat, quæ miserit alter:
Si dederit nemo, Sacra roganda viast.
Cum multa abstuleris, ut non tamen omnia donet,
Quod numquam reddas, commodet, ipsa roga!
Lingua iuvet mentemque tegat: blandire noceque;
Inpia sub dulci melle venena latent.
Hæc si præstiteris usu mihi cognita longo,
Nec tulerint voces ventus et aura meas,
Sæpe mihi dices vivæ bene, sæpe rogabis,
Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.»
Vox erat in cursu, cum me mea prodidit umbra,
At nostræ vix se continuere manus,
Quin albam raramque comam lacrimosaque vino
Lumina rugosas distraherentque genas.
Di tibi dent nullosque Lares inopemque senectam
Et longas hiemes perpetuamque sitim!

IX.

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido:
Attice, crede mihi, militat omnis amans.
Quæ bellost habilis, Veneri quoque convenit ætas:
Turpe senex miles, turpe senilis amor;
Quos petiere duces animos in milite forti,
Hos petit in socio bella puella viro;
Pervigilant ambo; terra requiescit uterque:
Ille fores dominæ servat, at ille ducis;
Militis officium longast via: mitte puellam,

Strenuus exempto fine sequetur amans;
Ibit in adversos montes duplicataque nimbo
Flumina, congestas exteret ille nives,
Nec freta pressurus tumidos causabitur Euros
Aptaque verrendis sidera quæret aquis.
Quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis
Et denso mixtas perferet imbre nives?
Mittitur infestos alter speculator in hostes,
In rivale oculos alter, ut hoste, tenet.
Ille graves urbes, hic duræ limen amicæ
Obsidet; hic portas frangit, at ille fores.
Sæpe soporatos invadere profuit hostes
Cædere et armata vulgus inerme manu:
Sic fera Threicii ceciderunt agmina Rhesi,
Et dominum capti deseruistis equi;
Sæpe maritorum somnis utuntur amantes,
Et sua sopitis hostibus arma movent.
Custodum transire manus vigilumque catervas
Militis et miseri semper amantis opus.
Mars dubius nec certa Venus: victique resurgunt,
Quosque neges umquam posse iacere, cadunt.
Ergo desidiam quicumque vocabat amorem,
Desinat: ingeniist experientis amor.
Ardet in abducta Briseide magnus Achilles:
Dum licet, Argivas frangite, Troes, opes!
Hector ab Andromaches conplexibus ibat ad arma,
Et, galeam capiti quæ daret, uxor erat.
Summa ducum, Atrides, visa Priameide fertur
Mænadis effusis obstipuisse comis;
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit:
Notior in cælo fabula nulla fuit.
Ipse ego segnis eram discinctaque in otia natus:

Mollierant animos lectus et umbra meos;
Inpulit ignavum formosæ cura puellæ
Iussit et in castris æra merere suis:
Inde vides agilem nocturnaque bella gerentem.
Qui nolet fieri desidiosus, amet!

X.

Qualis ab Eurota Phrygiis avecta carinis
Coniugibus belli causa duobus erat,
Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis
Callidus in falsa lusit adulter ave;
Qualis Amymone siccis erravit in Argis,
Cum premeret summi verticis urna comas,
Talis eras: aquilamque in te taurumque timebam,
Et quidquid magno de Iove fecit amor.
Nunc timor omnis abest, animique resanuit error,
Nec facies oculos iam capit ista meos.
Cur sim mutatus, quæris? quia munera poscis;
Hæc te non patitur causa placere mihi.
Donec eras simplex, animum cum corpore amavi;
Nunc mentis vitio læsa figura tuast.
Et puer est et nudus Amor; sine sordibus annos
Et nullas vestes, ut sit apertus, habet.
Quid puerum Veneris pretio prostare iubetis?
Quo pretium condat, non habet ille sinum.
Nec Venus apta feris Veneris nec filius armis:
Non decet inbelles æra merere deos.
Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et miseras iusso corpore quærit opes;
Devovet imperium tamen hæc lenonis avari
Et, quod vos facitis sponte, coacta facit.

Sumite in exemplum pecudes ratione carentes:
Turpe erit, ingenium mitius esse feris.
Non equa munus equum, non taurum vacca poposcit,
Non aries placitam munere captat ovem;
Sola viro mulier spoliis exultat ademptis,
Sola locat noctes, sola locanda venit
Et vendit, quod utrumque iuvat, quod uterque petebat,
Et pretium, quanti gaudeat ipsa, facit.
Quæ Venus ex æquo venturast grata duobus,
Altera cur illam vendit, et alter emit?
Cur mihi sit damno, tibi sit lucrosa voluptas,
Quam socio motu femina virque ferunt?
Non bene conducti vendunt periuria testes,
Non bene selecti iudicis arca patet.
Turpe, reos empta miseros defendere lingua;
Quod faciat magnas, turpe tribunal, opes;
Turpe, tori reditu census augere paternos
Et faciem lucro prostituisse suam.
Gratia pro rebus merito debetur inemptis;
Pro male conducto gratia nulla toro.
Omnia conductor solvit: mercede soluta
Non manet officio debitor ille tuo.
Parcite, formosæ, pretium pro nocte pacisci;
Non habet eventus sordida præda bonos:
Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas,
Ut premerent sacræ virginis arma caput;
E quibus exierat, traiecit viscera ferro
Filius, et pœnæ causa monile fuit.
Nec tamen indignumst a divite præmia posci:
Munera poscenti quod dare possit, habet;
Carpite de plenis pendentes vitibus uvas,
Præbeat Alcinoi poma benignus ager!

Officium pauper numerat studiumque fidemque:
Quod quis habet, dominæ conferat omne suæ!
Est quoque carminibus meritas celebrare puellas
Dos mea: quam volui, nota fit arte mea.
Scindentur vestes, gemmæ frangentur et aurum:
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.
Nec dare, sed pretium posci dedignor et odi:
Quod nego poscenti, desine velle, dabo.

XI.

Colligere incertos et in ordine ponere crines
Docta neque ancillas inter habenda Nape
Inque ministeriis furtivæ cognita noctis
Utilis et dandis ingeniosa notis,
Sæpe venire ad me dubitantem hortata Corinnam,
Sæpe laboranti fida reperta mihi,
Accipe et ad dominam peraratas mane tabellas
Perfer et obstantes sedula pelle moras!
Nec silicum venæ nec durum in pectore ferrum
Nec tibi simplicitas ordine maior adest;
Credibilest et te sensisse Cupidinis arcus:
In me militiæ signa tuere tuæ!
Si quæret, quid agam, spe noctis vivere dices;
Cetera fert blanda cera notata manu.
Dum loquor, hora fugit: vacuæ bene redde tabellas,
Verum continuo fac tamen illa legat!
Adspicias oculos mando frontemque legentis:
E tacito vultu scire futura licet.
Nec mora, perlectis rescribat multa, iubeto:
Odi, cum late splendida cera vacat;
Conprimat ordinibus versus, oculosque moretur

Margine in extremo littera rasa meos!
Quid digitos opus est graphio lassare tenendo?
Hoc habeat scriptum tota tabella «veni!»
Non ego victrices lauro redimire tabellas
Nec Veneris media ponere in æde morer;
Subscribam «Veneri fidas sibi Naso ministras
Dedicat: at nuper vile fuistis acer».

XII.

Flete meos casus: tristes rediere tabellæ!
Infelix hodie littera posse negat.
Omina sunt aliquid: modo cum discedere vellet
Ad limen digitos restitit icta Nape.
Missa foras iterum limen transire memento
Cautius atque alte sobria ferre pedem!
Ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellæ,
Tuque, negaturis cera referta notis,
Quam, puto, de longæ collectam flore cicutæ
Melle sub infami Corsica misit apis.
At tamquam minio penitus medicata rubebas:
Ille color vere sanguinulentus erat.
Proiectæ triviis iaceatis, inutile lignum,
Vosque rotæ frangat prætereuntis onus!
Illum etiam, qui vos ex arbore vertit in usum,
Convincam puras non habuisse manus;
Præbuit illa arbor misero suspendia collo,
Carnifici diras præbuit illa cruces;
Illa dedit turpes raucis bubonibus umbras,
Vulturis in ramis et strigis ova tulit.
His ego commisi nostros insanus amores
Molliaque ad dominam verba ferenda dedi!

Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ,
Quas aliquis duro cognitor ore legat;
Inter ephemeridas melius tabulasque iacerent,
In quibus absumptas fleret avarus opes.
Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi:
Auspicii numerus non erat ipse boni.
Quid precer iratus, nisi vos cariosa senectus
Rodat, et inmundo cera sit alba situ?

XIII.

Iam super oceanum venit a seniore marito,
Flava pruinoso quæ vehit axe diem.
Quo properas, Aurora? mane! sic Memnonis umbris
Annua sollemni cæde parentet avis!
Nunc iuvat in teneris dominæ iacuisse lacertis;
Si quando, lateri nunc bene iuncta meost.
Nunc etiam somni pingues et frigidus aer,
Et liquidum tenui gutture cantat avis.
Quo properas, ingrata viris, ingrata puellis?
Roscida purpurea supprime lora manu!
Ante tuos ortus melius sua sidera servat
Navita nec media nescius errat aqua;
Te surgit quamvis lassus veniente viator,
Et miles sævas aptat ad arma manus;
Prima bidente vides oneratos arva colentes,
Prima vocas tardos sub iuga panda boves;
Tu pueros somno fraudas tradisque magistris,
Ut subeant teneræ verbera sæva manus,
Atque eadem sponsum multos ante Atria mittis,
Unius ut verbi grandia damna ferant;
Nec tu consulto, nec tu iucunda diserto:

Cogitur ad lites surgere uterque novas;
Tu, cum feminei possint cessare labores,
Lanificam revocas ad sua pensa manum.
Omnia perpeterer; sed surgere mane puellas.
Quis, nisi cui non est ulla puella, ferat?
Optavi quotiens, ne Nox tibi cedere vellet,
Ne fugerent vultus sidera mota tuos;
Optavi quotiens, aut ventus frangeret axem,
Aut caderet spissa nube retentus equus!
[Quid, si Cephalio numquam flagraret amore?
An putat ignotam nequitiam esse suam?]
Invida, quo properas? quod erat tibi filius ater,
Materni fuerat pectoris ille color.
Tithono vellem de te narrare liceret:
Femina non cælo turpior ulla foret;
Illum dum refugis, longo quia grandior ævo,
Surgis ad invisas a sene mane rotas;
At si, quem malis, Cephalum conplexa teneres,
Clamares: «lente currite, Noctis equi!»
Cur ego plectar amans, si vir tibi marcet ab annis?
Num me nupsisti conciliante seni?
Adspice, quot somnos iuveni donarit amato
Luna! neque illius forma secunda tuæ.
Ipse deum genitor, ne te tam sæpe videret,
Commisit noctes in sua vota duas.
Iurgia finieram; scires audisse: rubebat;
Nec tamen adsueto tardius orta dies.

XIV.

Dicebam «medicare tuos desiste capillos!»
Tingere quam possis, iam tibi nulla comast.
At si passa fores, quid erat spatiosius illis?
Contigerant imum, qua patet usque, latus.
Quid, quod erant tenues, et quos ornare timeres,
Vela colorati qualia Seres habent,
Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum leve deserta sub trabe nectit opus.
Nec tamen ater erat nec erat tamen aureus ille,
Sed, quamvis neuter, mixtus uterque color,
Qualem clivosæ madidis in vallibus Idæ
Ardua derepto cortice cedrus habet.
Adde, quod et dociles et centum flexibus apti
Et tibi nullius causa doloris erant.
Non acus abrupit, non vallum pectinis illos;
Ornatrix tuto corpore semper erat:
Ante meos sæpest oculos ornata nec umquam
Bracchia derepta saucia fecit acu.
Sæpe etiam nondum digestis mane capillis
Purpureo iacuit semisupina toro:
Tum quoque erat neclecta decens, ut Threcia Bacche,
Cum temere in viridi gramine lassa iacet.
Cum graciles essent tamen et lanuginis instar,
Heu! mala vexatæ quanta tulere comæ!
Quam se præbuerunt ferro patienter et igni,
Ut fieret torto flexilis orbe sinus!
Clamabam «scelus est istos, scelus urere crines!
Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo!
Vim procul hinc remove! non est, qui debeat uri:
Circuit admotas ipse capillus acus».

Formosæ periere comæ, quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus inesse suo;
Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
Pingitur umenti sustinuisse manu.
Quid male dispositos quereris periisse capillos?
Quid speculum mæsta ponis, inepta, manu?
Non bene consuetis a te spectaris ocellis:
Ut placeas, debes inmemor esse tui.
Non te cantatæ læserunt pælicis herbæ,
Non anus Hæmonia perfida lavit aqua;
Nec tibi vis morbi nocuit, (procul omen abesto!)
Nec minuit densas invida lingua comas:
Facta manu culpaque tua dispendia sentis;
Ipsa dabas capiti mixta venena tuo.
Nunc tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O quam sæpe comas aliquo mirante rubebis,
Et dices «empta nunc ego merce probor;
Nescio quam pro me laudat nunc iste Sygambram:
Fama tamen memini cum fuit ista mea».
Me miserum! lacrimas male continet oraque dextra
Protegit ingenuas picta rubore genas;
Sustinet antiquos gremio spectatque capillos,
Ei mihi! non illo munera digna loco.
Collige cum vultu mentem! reparabile damnumst:
Postmodo nativa conspiciere coma.

XV.

Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos,
Ingeniique vocas carmen inertis opus:
Non me more patrum, dum strenua sustinet ætas,
Præmia militiæ pulverulenta sequi
Nec me verbosas leges ediscere nec me
Ingrato vocem prostituisse foro?
Mortalest, quod quæris, opus; mihi fama perennis
Quæritur, in toto semper ut orbe canar.
Vivet Mæonides, Tenedos dum stabit et Ide,
Dum rapidas Simois in mare volvet aquas;
Vivet et Ascræus, dum mustis uva tumebit,
Dum cadet incurva falce resecta Ceres;
Battiades semper toto cantabitur orbe:
Quamvis ingenio non valet, arte valet;
Nulla Sophocleo veniet iactura cothurno;
Cum sole et luna semper Aratus erit;
Dum fallax servus, durus pater, inproba lena
Vivent et meretrix blanda, Menandros erit;
Ennius arte carens animosique Accius oris
Casurum nullo tempore nomen habent.
Varronem primamque ratem quæ nesciet ætas,
Aureaque Aesonio terga petita duci?
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies;
Tityrus et segetes Aeneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit;
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui;
Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Ergo, cum silices, cum dens patientis aratri
  Depereant ævo, carmina morte carent:
Cedant carminibus reges regumque triumphi,
  Cedat et auriferi ripa benigna Tagi!
Vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo
  Pocula Castalia plena ministret aqua,
Sustineamque coma metuentem frigora myrtum
  Atque ita sollicito multus amante legar!
Pascitur in vivīs Livor, post fata quiescit,
  Cum suus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
  Vivam, parsque mei multa superstes erit.

LIBER SECUNDUS.

I.

Hoc quoque conposui Pælignis natus aquosis,
Ille ego nequitiæ Naso poeta meæ;
Hoc quoque iussit Amor: procul hinc, procul este, severi!
Non estis teneris apta theatra modis.
Me legat in sponsi facie non frigida virgo
Et rudis ignoto tactus amore puer;
Atque aliquis iuvenum, quo nunc ego, saucius arcu
Agnoscat flammæ conscia signa suæ
Miratusque diu «quo» dicat «ab indice doctus
Conposuit casus iste poeta meos?»
Ausus eram, memini, cælestia dicere bella
Centimanumque Gyen, (et satis oris erat)
Cum male se Tellus ultast, ingestaque Olympo
Ardua devexum Pelion Ossa tulit;
In manibus nimbos et cum Iove fulmen habebam.
Quod bene pro cælo mitteret ille suo;
Clausit amica fores: ego cum Iove fulmen omisi;
Excidit ingenio Iuppiter ipse meo.
Iuppiter, ignoscas: nil me tua tela iuvabant,
Clausa tuo maius ianua fulmen habet;
Blanditias elegosque levis, mea tela, resumpsi:
Mollierunt duras lenia verba fores.

Carmina sanguineæ deducunt cornua lunæ,
  Et revocant niveos Solis euntis equos;
Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues,
  Inque suos fontes versa recurrit aqua;
Carminibus cessere fores, insertaque posti,
  Quamvis robur erat, carmine victa serast.
Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?
  Quid pro me Atrides alter et alter agent,
Quique tot errando, quot bello, perdidit annos,
  Raptus et Hæmoniis flebilis Hector equis?
At facie teneræ laudata sæpe puellæ
  Ad vatem, pretium carminis, ipsa venit.
Magna datur merces! heroum clara valete
  Nomina: non aptast gratia vestra mihi.
Ad mea formosos vultus adhibete, puellæ,
  Carmina, purpureus quæ mihi dictat Amor!

II.

Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe,
  Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca!
Hesterna vidi spatiantem luce puellam
  Illa, quæ Danai porticus agmen habet;
Protinus, ut placuit, misi scriptoque rogavi:
  Rescripsit trepida «non licet» illa manu,
Et, cur non liceat, quærenti reddita causast,
  Quod nimium dominæ cura molesta tuast.
Si sapis, o custos, odium, mihi crede, mereri
  Desine: quem metuit quisque, perisse cupit.
Vir quoque non sapiens: quid enim servare laboret,
  Unde nihil, quamvis non tueare, perit?
Sed gerat ille suo morem furiosus amori

Et castum, multis quod placet, esse putet;
Huic furtiva tuo libertas munere detur,
Quam dederis illi, reddat ut illa tibi.
Conscius esse velis: dominast obnoxia servo;
Conscius esse times: dissimulare licet.
Scripta leget secum: matrem misisse putato!
Venerit ignotus: postmodo notus erit.
Ibit ad adfectam, quæ non languebit, amicam:
Visat! iudiciis ægra sit illa tuis;
Si faciet tarde, ne te mora longa fatiget,
Inposita gremio stertere fronte potes.
Nec tu, linigeram fieri quid possit ad Isim,
Quæsieris nec tu curva theatra time!
Conscius adsiduos commissi tollet honores.
Quis minor est autem quam tacuisse labor?
Ille placet versatque domum neque verbera sentit:
Ille potens; alii, sordida turba, iacent.
Huic, veræ ut lateant causæ, finguntur inanes,
Atque ambo domini, quod probat una, probant.
Cum bene vir traxit vultum rugasque coegit,
Quod voluit fieri blanda puella, facit.
Sed tamen interdum tecum quoque iurgia nectat
Et simulet lacrimas carnificemque vocet;
Tu contra obiciens, quæ tuto diluat illa,
Et veris falso crimine deme fidem!
Sic tibi semper honos, sic alta peculia crescent;
Hæc fac: in exiguo tempore liber eris.
Adspicis indicibus nexas per colla catenas;
Squalidus orba fide pectora carcer habet;
Quærit aquas in aquis et poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit;
Dum nimium servat custos Iunonius Ion,

Ante suos annos occidit, illa deast.
Vidi ego conpedibus liventia crura gerentem,
Unde vir incestum scire coactus erat;
Pœna minor merito: nocuit mala lingua duobus;
Vir doluit, famæ damna puella tulit.
Crede mihi, nulli sunt crimina grata marito,
Nec quemquam, quamvis audiat, illa iuvant:
Seu tepet, indicium securas perdis ad aures;
Sive amat, officio fit miser ille tuo.
Culpa nec ex facili quamvis manifesta probatur:
Iudicis illa sui tuta favore venit.
Viderit ipse licet, credet tamen ille neganti
Damnabitque oculos et sibi verba dabit.
Adspiciat dominæ lacrimas, plorabit et ipse
Et dicet «pœnas garrulus iste dabit!»
Quid dispar certamen inis? tibi verbera victo
Adsunt, in gremio iudicis illa sedet.
Non scelus adgredimur, non ad miscenda coimus
Toxica, non stricto fulminat ense manus;
Quærimus, ut tuto per te possimus amare:
Quid precibus nostris mollius esse potest?

III.

Ei mihi, quod dominam nec vir nec femina servas
Mutua nec Veneris gaudia nosse potes!
Qui primus pueris genitalia membra recidit,
Vulnera quæ fecit, debuit ipse pati.
Mollis in obsequium facilisque rogantibus esses,
Si tuus in quavis prætepuisset amor.
Non tu natus equo, non fortibus utilis armis,
Bellica non dextræ convenit hasta tuæ.

Ista mares tractent, tu spes depone viriles:
Sunt tibi cum domina signa ferenda tua.
Hanc inple meritis, huius tibi gratia prosit;
Si careas illa, quis tuus usus erit?
Est etiam facies, sunt apti lusibus anni:
Indignast pigro forma perire situ.
Fallere te potuit, quamvis habeare molestus:
Non caret effectu, quod voluere duo.
Aptius at fuerit precibus temptasse: rogamus,
Dum bene ponendi munera tempus habes.

IV.

Non ego mendosos ausim defendere mores
Falsaque pro vitiis arma movere meis.
Confiteor, siquid prodest delicta fateri;
In mea nunc demens crimina fassus eo.
Odi nec possum cupiens non esse, quod odi:
Heu! quam, quæ studeas ponere, ferre gravest!
Nam desunt vires ad me mihi iusque regendum;
Auferor ut rapida concita puppis aqua.
Non est certa meos quæ forma invitet amores;
Centum sunt causæ, cur ego semper amem.
Sive aliquast oculos in se deiecta modestos,
Uror, et insidiæ sunt pudor ille meæ;
Sive procax aliquast, capior, quia rustica non est,
Spemque dat in molli mobilis esse toro;
Aspera si visast rigidasque imitata Sabinas,
Velle, sed ex alto dissimulare puto;
Sive es docta, places raras dotata per artes;
Sive rudis, placita es simplicitate tua.
Est, quæ Callimachi præ nostris rustica dicat

Carmina: cui placeo, protinus ipsa placet;
Est etiam, quæ me vatem et mea carmina culpet:
Culpantis cupiam sustinuisse femur.
Molliter incedit: motu capit; altera durast:
At poterit tacto mollior esse viro.
Hæc quia dulce canit flectitque facillima vocem,
Oscula cantanti rapta dedisse velim;
Hæc querulas habili percurrit pollice chordas:
Tam doctas quis non possit amare manus?
Illa placet gestu numerosaque bracchia ducit
Et tenerum molli torquet ab arte latus:
Ut taceam de me, qui causa tangor ab omni,
Illic Hippolytum pone, Priapus erit.
Tu, quia tam longa es, veteres heroidas æquas
Et potes in toto multa iacere toro;
Hæc habilis brevitate suast: corrumpor utraque;
Conveniunt voto longa brevisque meo.
Non est culta: subit, quid cultæ accedere possit,
Ornatast: dotes exhibet ipsa suas.
Candida me capiet, capiet me flava puella,
Est etiam in fusco grata colore Venus;
Seu pendent nivea pulli cervice capilli,
Leda fuit nigra conspicienda coma;
Seu flavent, placuit croceis Aurora capillis:
Omnibus historiis se meus aptat amor.
Me nova sollicitat, me tangit serior ætas:
Hæc melior specie corporis, illa sapit.
Denique quas tota quisquam probet Urbe puellas,
Noster in has omnis ambitiosus amor.

V.

Nullus amor tantist, (abeas, pharetrate Cupido!)
Ut mihi sint totiens maxima vota mori.
Vota mori mea sunt, cum te peccasse recordor,
Ei! mihi perpetuum nata puella malum!
Non mi interceptæ nudant tua facta tabellæ,
Nec data furtive munera crimen habent.
O utinam arguerem sic, ut non vincere possem!
Me miserum! quare tam bona causa meast?
Felix, qui, quod amat, defendere fortiter audet,
Cui sua «non feci» dicere amica potest!
Ferreus est nimiumque suo favet ille dolori,
Cui petitur victa palma cruenta rea.
Ipse miser vidi, cum me dormire putares,
Sobrius adposito crimina vestra mero;
Multa supercilio vidi vibrante loquentes:
Nutibus in vestris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit;
Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem
Verbaque pro certis iussa valere notis.
Iamque frequens ierat mensa conviva relicta,
Conpositi iuvenes unus et alter erant:
Inproba tum vero iungentes oscula vidi,
(Illa mihi lingua nexa fuisse liquet)
Qualia non fratri tulerit germana severo,
Sed tulerit cupido mollis amica viro.
Qualia credibilest non Phœbo ferre Dianam,
Sed Venerem Marti sæpe tulisse suo.
«Quid facis?» exclamo «quo nunc mea gaudia differs?
Iniciam dominas in mea iura manus.

Hæc tibi sunt mecum, mihi sunt communia tecum:
In bona cur quisquam tertius ista venit?»
Hoc ego, quæque dolor linguæ dictavit; at illi
Conscia purpureus venit in ora pudor,
Quale coloratum Tithoni coniuge cælum
Subrubet aut sponso visa puella novo,
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ,
Aut ubi cantatis Luna laborat equis,
Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Mæonis Assyrium femina tinxit ebur;
Hic erat aut alicui color ille simillimus horum,
Et numquam casu pulchrior illa fuit.
Spectabat terram: terram spectare decebat;
Mæsta erat in vultu: mæsta decenter erat.
Sicut erant (et erant culti), laniare capillos
Et fuit in teneras impetus ire genas:
Ut faciem vidi, fortes cecidere lacerti;
Defensast armis nostra puella suis.
Qui modo sævus eram, supplex ultroque rogavi,
Oscula ne nobis deteriora daret.
Risit et ex animo dedit optima, qualia possent
Excutere irato tela trisulca Iovi;
Torqueor infelix, ne tam bona senserit alter,
Et volo non ex hac illa fuisse nota.
Hæc quoque, quam docui, multo meliora fuerunt,
Et quiddam visast addidicisse novi.
Quod nimium placuere, malumst, quod tota labellis
Lingua tuast nostris, nostra recepta tuis.
Nec tamen hoc unum doleo, non oscula tantum
Iuncta queror, quamvis hæc quoque iuncta queror:
Illa nisi in lecto nusquam potuere doceri.
Nescio quis pretium grande magister habet.

VI.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit: exequias ite frequenter, aves;
Ite, piæ volucres, et plangite pectora pinnis
Et rigido teneras ungue notate genas;
Horrida pro mæstis lanietur pluma capillis,
Pro longa resonent carmina vestra tuba!
Quod scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni,
Expletast annis ista querela suis;
Alitis in raræ miserum devertere funus:
Magna, sed antiquast causa doloris Itys.
Omnes, quæ liquido libratis in aere cursus,
Tu tamen ante alios, turtur amice, dole!
Plena fuit vobis omni concordia vita,
Et stetit ad finem longa tenaxque fides:
Quod fuit Argolico iuvenis Phoceus Orestæ,
Hoc tibi, dum licuit, psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides, quid rari forma coloris,
Quid vox mutandis ingeniosa sonis,
Quid iuvat, ut datus es, nostræ placuisse puellæ?
Infelix, avium gloria, nempe iaces!
Tu poteras fragiles pinnis hebetare zmaragdos
Tincta gerens rubro Punica rostra croco.
Non fuit in terris vocum simulantior ales:
Reddebas blæso tam bene verba sono!
Raptus es invidia: non tu fera bella movebas;
Garrulus et placidæ pacis amator eras.
Ecce, coturnices inter sua prœlia vivunt,
Forsitan et fiunt inde frequenter anus.
Plenus eras minimo nec præ sermonis amore
In multos poteras ora vacare cibos;

Nux erat esca tibi causæque papavera somni,
  Pellebatque sitim simplicis umor aquæ.
Vivit edax vultur ducensque per aera gyros
  Miluus et pluviæ graculus auctor aquæ;
Vivit et armiferæ cornix invisa Minervæ,
  Illa quidem sæclis vix moritura novem:
Occidit illa loquax humanæ vocis imago,
  Psittacus, extremo munus ab orbe datum!
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris,
  Inplentur numeris deteriora suis:
Tristia Phylacidæ Thersites funera vidit,
  Iamque cinis vivis fratribus Hector erat.
Quid referam timidæ pro te pia vota puellæ,
  Vota procelloso per mare rapta Noto?
Septima lux vēnit non exhibitura sequentem,
  (Et stabat vacuo iam tibi Parca colo)
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato:
  Clamavit moriens lingua «Corinna, vale!»
Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet,
  Udaque perpetuo gramine terra viret:
Siqua fides dubiis, volucrum locus ille piarum
  Dicitur, obscenæ quo prohibentur aves;
Illic innocui late pascuntur olores
  Et vivax phœnix, unica semper avis;
Explicat ipsa suas ales Iunonia pinnas,
  Oscula dat cupido blanda columba, mari.
Psittacus has inter nemorali sede receptus
  Convertit volucres in sua verba pias.
Ossa tegit tumulus, tumulus pro corpore magnus,
  Quo lapis exiguus par sibi carmen habet:
«Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro;
  Ora fuere mihi plus ave docta loqui.»

VII.

Ergo sufficiam reus in nova crimina semper?
Ut vincam, totiens dimicuisse piget.
Sive ego marmorei respexi summa theatri,
Eligis e multis, unde dolere velis;
Candida seu tacito vidit me femina vultu,
In vultu tacitas arguis esse notas.
Siquam laudavi, misero petis ungue capillos;
Si culpo, crimen dissimulare putas.
Sive bonus color est, in te quoque frigidus esse,
Seu malus, alterius dicor amore mori.
Atque ego peccati vellem mihi conscius essem:
Aequo animo pœnam, qui meruere, ferunt;
Nunc temere insimulas credendoque omnia frustra
Ipsa vetas iram pondus habere tuam;
Adspice, ut auritus miserandæ sortis asellus
Adsiduo domitus verbere lentus eat.
Ecce novum crimen: sollers ornare Cypassis
Obicitur dominæ contemerasse torum.
Di melius, quam me, si sit peccasse libido,
Sordida contemptæ sortis amica iuvet!
Quis Veneris famulæ conubia liber inire
Tergaque conplecti verbere secta velit?
Adde, quod ornandis illast operata capillis
Et tibi per doctas grata ministra manus:
Scilicet ancillam, quæ tam tibi fida, rogarem?
Quid, nisi ut indicio iuncta repulsa foret?
Per Venerem iuro puerique volatilis arcus
Me non admissi criminis esse reum.

VIII.

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna, Cypassi, deas.
Et mihi iucundo non rustica cognita furto,
Apta quidem dominæ, sed magis apta mihi.
Quis fuit inter nos sociati corporis index?
Sensit concubitus unde Corinna tuos?
Num tamen erubui? num, verbo lapsus in ullo,
Furtivæ Veneris conscia signa dedi?
Quid, quod in ancilla siquis delinquere possit,
Illum ego contendi mente carere bona!
Thessalus ancillæ facie Briseidos arsit,
Serva Mycenæo Phœbas amata duci:
Nec sum ego Tantalide maior, nec maior Achille:
Quod decuit reges, cur mihi turpe putem?
Ut tamen iratos in te defixit ocellos,
Vidi te totis erubuisse genis;
At quanto, si forte refers, præsentior ipse
Per Veneris feci numina magna fidem!
Tu, dea, tu iubeas animi periuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre Notos!
Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende
Concubitus hodie, fusca Cypassi, tuos!
Quid renuis fingisque novos, ingrata, timores?
Unumst e dominis emeruisse satis.
Quod si stulta negas, index anteacta fatebor
Et veniam culpæ proditor ipse meæ,
Quoque loco tecum fuerim, quotiensque, Cypassi,
Narrabo dominæ, quotque quibusque modis.

IX. *A.*

O numquam pro me satis indignate Cupido,
O in corde meo desidiose puer,
Quid me, qui miles numquam tua signa reliqui,
Lædis, et in castris vulneror ipse meis?
Cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos?
Gloria pugnantes vincere maior erat.
Quid? non Hæmonius, quem cuspide perculit, heros
Confossum medica postmodo iuvit ope?
Venator sequitur fugientia, capta relinquit,
Semper et inventis ulteriora petit.
Nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma,
Pigra reluctanti cessat in hoste manus.
Quid iuvat in nudis hamata retundere tela
Ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor.
Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellæ:
Hinc tibi cum magna laude triumphus eat.
Roma, nisi inmensum vires movisset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque tecta casis.
Fessus in acceptos miles deducitur agros,
Mittitur in saltus carcere liber equus;
Longaque subductam celant navalia pinum,
Tutaque deposito poscitur ense rudis:
Me quoque, qui totiens merui sub amore puellæ,
Defunctum placide vivere tempus erat.

IX *B.*

«Vive» deus «posito» siquis mihi dicat «amore»,
Deprecer: usque adeo dulce puella malumst.
Cum bene pertæsumst, animoque relanguit ardor,

Nescio quo miseræ turbine mentis agor.
Ut rapit in præceps dominum spumantia frustra
Frena retentantem durior oris equus,
Ut subitus, prope iam prensa tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit,
Sic me sæpe refert incerta Cupidinis aura,
Notaque purpureus tela resumit Amor.
Fige, puer! positis nudus tibi præbeor armis:
Hic tibi sunt vires, hic tua dextra facit;
Huc tamquam iussæ veniunt iam sponte sagittæ:
Vix illis præ me nota pharetra suast.
Infelix, tota quicumque quiescere nocte
Sustinet et somnos præmia magna vocat!
Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.
Me modo decipiant voces fallacis amicæ,
Sperando certe gaudia magna feram;
Et modo blanditias dicat, modo iurgia nectat;
Sæpe fruar domina, sæpe repulsus eam.
Quod dubius Mars est, per te, privigne Cupido, est,
Et movet exemplo vitricus arma tuo.
Tu levis es multoque tuis ventosior alis
Gaudiaque ambigua dasque negasque fide;
Si tamen exaudis pulchra cum matre rogantem,
Indeserta meo pectore regna gere;
Accedant regno, nimium vaga turba, puellæ:
Ambobus populis sic venerandus eris.

X.

Tu mihi, tu certe, memini, Græcine, negabas
Uno posse aliquem tempore amare duas;

Per te ego decipior, per te deprensus inermis,
Ecce, duas uno tempore turpis amo.
Utraque formosast, operosæ cultibus ambæ;
Artibus in dubiost hæc sit an illa prior.
Pulchrior hac illast, hæc est quoque pulchrior illa;
Et magis hæc nobis, et magis illa placet.
Errant ut ventis discordibus acta phaselos
Dividuumque tenent alter et alter amor.
Quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?
Non erat in curas una puella satis?
Quid folia arboribus, quid pleno sidera cælo,
In freta collectas alta quid addis aquas?
Sed tamen hoc melius, quam si sine amore iacerem:
Hostibus eveniat vita severa meis;
Hostibus eveniat viduo dormire cubili
Et medio laxe ponere membra toro;
At mihi sævus amor somnos abrumpat inertes,
Simque mei lecti non ego solus onus;
Me mea disperdat nullo prohibente puella,
Si satis una potest, si minus una, duæ!
Sufficiam; graciles, non sunt sine viribus artus:
Pondere, non nervis corpora nostra carent;
Et lateri dabit in vires alimenta voluptas:
Deceptast opera nulla puella mea;
Sæpe ego lascive consumpsi tempora noctis:
Utilis et forti corpore mane fui.
Felix, quem Veneris certamina mutua perdunt!
Di faciant, leti causa sit ista mei!
Induat adversis contraria pectora telis
Miles et æternum sanguine nomen emat;
Quærat avarus opes et, quæ lassarit arando,
Aequora periuro naufragus ore bibat;

At mihi contingat Veneris languescere motu,
  Cum moriar, medium solvar et inter opus,
Atque aliquis nostro lacrimans in funere dicat
  «Conveniens vitæ mors fuit ista tuæ.»

XI.

Prima malas docuit mirantibus æquoris undis
  Peliaco pinus vertice cæsa vias,
Quæ concurrentis inter temeraria cautes
  Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.
O utinam, nequis remo freta longa moveret,
  Argo funestas pressa bibisset aquas!
Ecce, fugit notumque torum sociosque Penates
  Fallacisque vias ire Corinna parat.
Quam tibi, me miserum, Zephyros Eurosque timebo
  Et gelidum Borean egelidumque Notum!
Non illic urbes, non tu mirabere silvas:
  Unast iniusti cærula forma maris;
Nec medius tenuis conchas pictosque lapillos
  Pontus habet: bibuli litoris illa morast.
Litora marmoreis pedibus signate, puellæ:
  Hactenus est tutum; cetera cæca viast.
Et vobis alii ventorum prœlia narrent,
  Quas Scylla infestet, quasve Charybdis aquas,
Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis,
  Quo lateant Syrtes magna minorque sinu!
Hæc alii referant; at vos, quod quisque loquetur,
  Credite! credenti nulla procella nocet.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
  Currit in inmensum panda carina salum,
Navita sollicitus qua ventos horret iniquos

Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.
Quod si concussas Triton exasperet undas,
Quam tibi sit toto nullus in ore color!
Tum generosa voces fecundæ sidera Ledæ
Et «felix», dicas «quem sua terra tenet!»
Tutius est fovisse torum, legisse libellos,
Threiciam digitis increpuisse lyram.
At, si vana ferunt volucres mea dicta procellæ,
Aequa tamen puppi sit Galatea tuæ!
Vestrum crimen erit talis iactura puellæ,
Nereidesque deæ Nereidumque pater.
Vade memor nostri vento reditura secundo,
Inpleat illa tuos fortior aura sinus!
Tum mare in hæc magnus proclinet litora Nereus,
Huc venti spirent, huc agat æstus aquas!
Ipsa roges, Zephyri veniant in lintea soli,
Ipsa tua moveas turgida vela manu.
Primus ego adspiciam notam de litore puppim
Et dicam «nostros advehit illa deos»
Excipiamque umeris et multa sine ordine carpam
Oscula: pro reditu victima vota cadet,
Inque tori formam molles sternentur harenæ,
Et tumulus mensæ quilibet instar erit.
Illic adposito narrabis multa Lyæo:
Pæne sit ut mediis obruta navis aquis,
Dumque ad me properas, neque iniquæ tempora noctis
Nec te præcipites extimuisse Notos.
Omnia pro veris credam, sint ficta licebit:
Cur ego non votis blandiar ipse meis?
Hæc mihi quamprimum cælo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo!

XII.

Ite triumphales circum mea tempora laurus!
Vicimus: in nostrost, ecce, Corinna sinu,
Quam vir, quam custos, quam ianua firma, tot hostes,
Servabant, nequa posset ab arte capi.
Hæc est præcipuo victoria digna triumpho,
In qua, quæcumquest, sanguine præda caret.
Non humiles muri, non parvis oppida fossis
Cincta, sed est ductu capta puella meo.
Pergama cum caderent bello superata bilustri,
Ex tot in Atridis pars quota laudis erat?
At mea sepositast et ab omni milite dissors
Gloria, nec titulum muneris alter habet:
Me duce ad hanc voti finem, me milite veni;
Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.
Nec casum fortuna meis inmiscuit actis:
Huc ades, o cura parte Triumphe mea!
Nec bellist nova causa mei: nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret;
Femina silvestris Lapithas populumque biformem
Turpiter adposito vertit in arma mero;
Femina Troianos iterum nova bella movere
Inpulit in regno, iuste Latine, tuo;
Femina Romanis etiamnunc Urbe recenti
Inmisit soceros armaque sæva dedit.
Vidi ego pro nivea pugnantes coniuge tauros:
Spectatrix animos ipsa iuvenca dabat.
Me quoque, qui multos, sed me sine cæde Cupido
Iussit militiæ signa movere suæ.

XIII.

Dum labefactat onus gravidi temeraria ventris,
In dubio vitæ lassa Corinna iacet.
Illa quidem clam me tantum molita pericli
Ira digna mea, sed cadit ira metu;
Sed tamen aut ex me conceperat, aut ego credo:
Est mihi pro facto sæpe, quod esse potest.
Isi, Parætonium genialiaque arva Canopi
Quæ colis et Memphin palmiferamque Pharon,
Quaque celer Nilus lato delapsus in alveo
Per septem portus in maris exit aquas,
Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi:
(Sic tua sacra pius semper Osiris amet,
Pigraque labatur circa donaria serpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat!)
Huc adhibe vultus, et in una parce duobus!
Nam vitam dominæ tu dabis, illa mihi.
Sæpe tibi sedit certis operata diebus,
Qua tangit laurus Gallica turma tuas;
Tuque laborantes utero miserata puellas,
Quarum tarda latens corpora tendit onus,
Lenis ades precibusque meis fave, Ilithyia!
Dignast, quam iubeas muneris esse tui.
Ipse ego tura dabo fumosis candidus aris,
Ipse feram ante tuos munera vota pedes;
Adiciam titulum «servata Naso Corinna»,
Tu modo fac titulo muneribusque locum.
Si tamen in tanto fas est monuisse timore,
Hac tibi sit pugna dimicuisse satis!

XIV.

Quid iuvat inmunes belli cessare puellas,
Nec fera peltatas agmina velle sequi,
Si sine Marte suis patiuntur vulnera telis,
Et cæcas armant in sua fata manus?
Quæ prima instituit teneros convellere fetus,
Militia fuerat digna perire sua:
Scilicet, ut careat rugarum crimine venter,
Sternetur pugnæ tristis harena tuæ?
Si mos antiquis placuisset matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit,
Quique iterum iaceret, generis primordia nostri,
In vacuo lapides orbe, parandus erat.
Quis Priami fregisset opes, si numen aquarum
Iusta recusasset pondera ferre Thetis?
Ilia si tumido geminos in ventre necasset,
Casurus dominæ conditor Urbis erat;
Si Venus Aenean gravida temerasset in alvo,
Cæsaribus tellus orba futura fuit.
Tu quoque, cum posses nasci formosa, perisses,
Temptasset, quod tu, si tua mater opus;
Ipse ego, cum fuerim melius periturus amando,
Vidissem nullos matre necante dies.
Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis,
Pomaque crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluant matura sua, sine crescere nata:
Est pretium parvæ non leve vita moræ.
Vestra quid effoditis subiectis viscera telis
Et nondum natis dira venena datis?
Colchida respersam puerorum sanguine culpant
Atque sua cæsum matre queruntur Ityn;

Utraque sæva parens: sed tristibus utraque causis
Iactura socii sanguinis ulta virum.
Dicite, quis Tereus, quis vos inritet Iaso
Figere sollicita corpora vestra manu?
Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris,
Perdere nec fetus ausa leæna suos;
At teneræ faciunt, sed non inpune, puellæ:
Sæpe, suos utero quæ necat, ipsa perit.
Ipsa perit ferturque rogo resoluta capillos,
Et clamant «merito», qui modo cumque vident.
Ista sed ætherias vanescant dicta per auras,
Et sint ominibus pondera nulla meis;
Di faciles, peccasse semel concedite tuto:
Et satis est; pœnam culpa secunda ferat!

XV.

Anule, formosæ digitum vincture puellæ,
In quo censendum nil nisi dantis amor,
Munus eas gratum; te læta mente receptum
Protinus articulis induat illa suis;
Tam bene convenias, quam mecum convenit illi,
Et digitum iusto commodus orbe teras!
Felix, a domina tractaberis, anule, nostra:
Invideo donis iam miser ipse meis.
O utinam fieri subito mea munera possem
Artibus Aeææ Carpathiive senis!
Tunc ego, si cupiam dominæ tetigisse papillas
Et lævam tunicis inseruisse manum,
Elabar digito quamvis angustus et hærens
Inque sinum mira laxus ab arte cadam;
Idem ego, ut arcanas possim signare tabellas,

Neve tenax ceram siccaque gemma trahat,
Umida formosæ tangam prius ora puellæ:
Tantum ne signem scripta dolenda mihi.
Si trahar, ut condar loculis: exire negabo,
Adstringens digitos orbe minore tuos.
Non ego dedecori tibi sim, mea vita, futurus,
Quodve tener digitus ferre recuset, onus.
Me gere, cum calidis perfunderis imbribus artus,
Damnaque sub gemmam perfer euntis aquæ;
Sed, puto, te nuda mea membra libidine surgent,
Et paragam partes anulus ille viri.
Inrita quid voveo? parvum proficiscere munus:
Illa datam tecum sentiat esse fidem!

XVI.

Pars me Sulmo tenet Pæligni tertia ruris,
Parva, sed inriguis ora salubris aquis.
Sol licet admoto tellurem sidere findat,
Et micet Icarii stella proterva canis:
Arva pererrantur Pæligna liquentibus undis
Et viret in tenero fertilis herba solo.
Terra ferax Cereris multoque feracior uvis,
Dat quoque baciferam Pallada rarus ager,
Perque resurgentes rivis labentibus herbas
Gramineus madidam cæspes obumbrat humum.
At meus ignis abest: verbo peccavimus uno!
Quæ movet ardores, est procul; ardor adest.
Non ego, si medius Polluce et Castore ponar,
In cæli sine te parte fuisse velim.
Solliciti iaceant terraque premantur iniqua,
In longas orbem qui secuere vias;

Aut iuvenum comites iussissent ire puellas,
Si fuit in longas terra secanda vias!
Tum mihi, si premerem ventosas horridus Alpes,
Dummodo cum domina, molle fuisset iter;
Cum domina Libycas ausim perrumpere Syrtes
Et dare non æquis vela ferenda Notis;
Non quæ virgineo portenta sub inguine latrant,
Nec timeam vestros, curva Malea, sinus,
Non quas submersis ratibus saturata Charybdis
Fundit et effusas ore receptat aquas.
Quod si Neptuni ventosa potentia vincit,
Et subventuros auferet unda deos,
Tu nostris niveos umeris inpone lacertos:
Corpore nos facili dulce feremus onus;
Sæpe petens Heron iuvenis transnaverat undas:
Tum quoque transnasset, sed via cæca fuit.
At sine te, quamvis operosi vitibus agri
Me teneant, quamvis amnibus arva natent,
Et vocet in rivos currentem rusticus undam,
Frigidaque arboreas mulceat aura comas,
Non ego Pælignos videor celebrare salubres,
Non ego natalem, rura paterna, locum,
Sed Scythiam Cilicasque feros vitreosque Britannos,
Quæque Prometheo saxa cruore rubent.
Ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum:
Separor a domina cur ego sæpe mea?
At mihi te comitem iuraras usque futuram
Per me perque oculos, sidera nostra, tuos:
Verba puellarum, foliis leviora caducis,
Inrita, qua visumst, ventus et unda ferunt.
Siqua mei tamen est in te pia cura relicti,
Incipe pollicitis addere facta tuis

Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis
Ipsa per admissas concute lora iubas!
At vos, qua veniet, tumidi, subsidite, montes,
Et faciles curvis vallibus este, viæ!

XVII.

Siquis erit, qui turpe putet servire puellæ,
Illo convincar iudice turpis ego;
Sim licet infamis, dum me moderatius urat,
Quæ Paphon et fluctu pulsa Cythera tenet.
Atque utinam dominæ miti quoque præda fuissem,
Formosæ quoniam præda futurus eram!
Dat facies animos: facie violenta Corinnast;
Me miserum! cur est tam bene nota sibi?
Scilicet a speculi sumuntur imagine fastus,
Nec nisi conpositam se prius illa videt.
Non, tibi si facies nimium dat in omnia regni,
(O facies oculos nata tenere meos!)
Collatum idcirco tibi me contemnere debes:
Aptari magnis inferiora licet.
Traditur et nymphe mortalis amore Calypso
Capta recusantem detinuisse virum;
Creditur æquoream Phthio Nereida regi,
Egeriam iusto concubuisse Numæ,
Vulcano Venerem, quamvis incude relicta
Turpiter obliquo claudicet ille pede.
Carminis hoc ipsum genus inpar, sed tamen apte
Iungitur herous cum breviore modo.
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges:
Te deceat medio iura dedisse toro.
Non tibi crimen ero, nec quo lætere remoto:

Non erit hic nobis infitiandus amor.
Sunt mihi pro magno felicia carmina censu,
Et multæ per me nomen habere volunt;
Novi aliquam, quæ se circumferat esse Corinnam:
Ut fiat, quid non illa dedisse velit?
Sed neque diversi ripa labentur eadem
Frigidus Eurotas populiferque Padus,
Nec nisi tu nostris cantabitur ulla libellis:
Ingenio causas tu dabis una meo.

XVIII.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen
Primaque iuratis induis arma viris,
Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra,
Et tener ausuros grandia frangit Amor.
Sæpe meæ «tandem» dixi «discede» puellæ:
In gremio sedit protinus illa meo;
Sæpe «pudet» dixi: lacrimis vix illa retentis
«Me miseram, iam te» dixit «amare pudet?»
Inplicuitque suos circum mea colla lacertos
Et, quæ me perdunt, oscula mille dedit.
Vincor, et ingenium sumptis revocatur ab armis,
Resque domi gestas et mea bella cano.
Sceptra tamen sumpsi, curaque tragœdia nostra
Crevit, et huic operi quamlibet aptus eram:
Risit Amor pallamque meam pictosque cothurnos
Sceptraque privata tam cito sumpta manu;
Hinc quoque me dominæ numen deduxit iniquæ,
Deque cothurnato vate triumphat Amor.
Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris,
(Ei mihi! præceptis urgeor ipse meis)

Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
Scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas,
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iaso
Hippolytique parens Hippolytusque legant,
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat et Aeoliæ, Lesbia, fama lyræ.
Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus
Scriptaque diversis rettulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulixis,
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo;
Iam pius Aeneas miseræ rescripsit Elissæ,
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest;
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit;
Det votam Phœbo Lesbis amata lyram.
Nec tibi, qua tutum vati, Macer, arma canenti
Aureus in medio Marte tacetur Amor:
Et Paris est illic et adultera, nobile crimen,
Et comes extincto Laodamia viro.
Si bene te novi, non bella libentius istis
Dicis et a vestris in mea castra venis.

XIX.

Si tibi non opus est servata, stulte, puella,
At mihi fac serves, quo magis ipse velim.
Quod licet, ingratumst; quod non licet, acrius urit:
Ferreus est, siquis, quod sinit alter, amat.
Speremus pariter, pariter metuamus amantes,
Et faciat voto rara repulsa locum!
Quo mihi fortunam, quæ numquam fallere curet?
Nil ego, quod nullo tempore lædat, amo.
Viderat hoc in me vitium versuta Corinna,

Quaque capi possem, callida norat opem.
A! quotiens sani capitis mentita dolores
Cunctantem tardo iussit abire pede!
A! quotiens finxit culpam, quantumque licebat
Insonti, speciem præbuit esse nocens!
Sic ubi vexarat tepidosque refoverat ignis,
Rursus erat votis comis et apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat;
Oscula, di magni, qualia quotque dabat!
Tu quoque, quæ nostros rapuisti nuper ocellos,
Sæpe time insidias, sæpe rogata nega
Et sine me ante tuos proiectum in limine postis
Longa pruinosa frigora nocte pati!
Sic mihi durat amor longosque adolescit in annos:
Hoc iuvat, hæc animi sunt alimenta mei.
Pinguis amor nimiumque patens in tædia nobis
Vertitur et, stomacho dulcis ut esca, nocet.
Si numquam Danaen habuisset aenea turris,
Non esset Danae de Iove facta parens;
Dum servat Iuno mutatam cornibus Ion,
Factast, quam fuerat, gratior illa Iovi.
Quod licet et facilest, quisquis cupit, arbore frondis
Carpat et e magno flumine potet aquam!
Siqua volet regnare diu, deludat amantem!
Ei mihi! ne monitis torquear ipse meis!
Quidlibet eveniat, nocet indulgentia nobis:
Quod sequitur, fugio; quod fugit, ipse sequor.
At tu, formosæ nimium secure puellæ,
Incipe iam prima claudere nocte forem;
Incipe, quis totiens furtim tua limina pulset,
Quærere, quid latrent nocte silente canes,
Quas ferat et referat sollers ancilla tabellas,

Cur totiens vacuo secubet ipsa toro;
Mordeat ista tuas aliquando cura medullas,
Daque locum nostris materiamque dolis!
Ille potest vacuo furari litore harenas,
Uxorem stulti siquis amare potest;
Iamque ego præmoneo: nisi tu servare puellam
Incipis, incipiet desinere esse mea.
Multa diuque tuli; speravi sæpe, futurum,
Cum bene servasses, ut bene verba darem;
Lentus es et pateris nulli patienda marito:
At mihi concessa finis amoris erit.
Scilicet infelix numquam prohibebor adire?
Nox mihi sub nullo vindice semper erit?
Nil metuam? per nulla traham suspiria somnos?
Nil facies, cur te iure perisse velim?
Quid mihi cum facili, quid cum lenone marito?
Corrumpit vitio gaudia nostra suo.
Quin alium, quem tanta iuvat patientia, quæris?
Me tibi rivalem si iuvat esse, veta!

LIBER TERTIUS.

I.

Stat vetus et multos incædua silva per annos:
Credibilest illi numen inesse loco;
Fons sacer in medio speluncaque pumice pendens,
Et latere ex omni dulce queruntur aves.
Hic ego dum spatior tectus nemoralibus umbris,
(Quod mea, quærebam, Musa moveret opus)
Venit odoratos Elegeia nexa capillos,
Et, puto, pes illi longior alter erat:
Forma decens, vestis tenuissima, vultus amantis;
Et pedibus vitium causa decoris erat.
Venit et ingenti violenta Tragœdia passu
(Fronte comæ torva, palla iacebat humi;
Læva manus sceptrum late regale movebat,
Lydius alta pedum vincla cothurnus erat)
Et prior «ecquis erit» dixit «tibi finis amandi,
O argumenti lente poeta tui?
Nequitiam vinosa tuam convivia narrant,
Narrant in multas conpita secta vias.
Sæpe aliquis digito vatem designat euntem,
Atque ait «hic, hic est, quem ferus urit Amor.»
Fabula, nec sentis, tota iactaris in Urbe,
Dum tua præterito facta pudore refers.

Tempus erat, thyrso pulsum graviore moveri;
Cessatum satis est: incipe maius opus!
Materia premis ingenium; cane facta virorum:
«Hæc animo» dices «area facta meost.»
Quod teneræ cantent, lusit tua Musa, puellæ,
Primaque per numeros acta iuventa suos;
Nunc habeam per te Romana Tragœdia nomen!
Inplebit leges spiritus iste meas.»
Hactenus, et movit pictis innixa cothurnis
Densum cæsarie terque quaterque caput.
Altera, si memini, limis subrisit ocellis;
(Fallor, an in dextra myrtea virga fuit?)
«Quid gravibus verbis, animosa Tragœdia», dixit
«Me premis? an numquam non gravis esse potes?
Inparibus tamen es numeris dignata moveri:
In me pugnasti versibus usa meis.
Non ego contulerim sublimia carmina nostris:
Obruit exiguas regia vestra fores.
Sum levis, et mecum levis est, mea cura, Cupido:
Non sum materia fortior ipsa mea;
Rustica sit sine me lascivi mater Amoris:
Huic ego proveni lena comesque deæ;
Quam tu non poteris duro reserare cothurno,
Hæc est blanditiis ianua laxa meis;
Et tamen emerui plus, quam tu, posse ferendo
Multa supercilio non patienda tuo.
Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem
Delabique toro tunica velata soluta
Atque inpercussos nocte movere pedes.
Vel quotiens foribus duris incisa pependi,
Non verita a populo prætereunte legi;

Quin ego me memini, dum custos sævus abiret,
Ancillæ missam delituisse sinu;
Quid, cum me munus natali mittis, at illa
Rumpit et adposita barbara mersat aqua?
Prima tuæ movi felicia semina mentis:
Munus habes, quod te iam petit ista, meum.»
Desierat; cœpi «per vos utramque rogamus,
In vacuas aures verba timentis eant.
Altera me sceptro decoras altoque cothurno:
Iam nunc contacto magnus in ore sonus;
Altera das nostro victurum nomen amori:
Ergo ades et longis versibus adde brevis!
Exiguum vati concede, Tragœdia, tempus:
Tu labor æternus; quod petit illa, brevest.»
Mota dedit veniam: teneri properentur Amores,
Dum vacat; a tergo grandius urguet opus.

II.

«Non ego nobilium sedeo studiosus equorum:
Cui tamen ipsa faves, vincat ut ille, precor.
Ut loquerer tecum, veni, tecumque sederem,
Ne tibi non notus, quem facis, esset amor.
Tu cursus spectas, ego te: spectemus uterque,
Quod iuvat, atque oculos pascat uterque suos!
O, cuicumque faves, felix agitator equorum!
Ergo illi curæ contigit esse tuæ?
Hoc mihi contingat, sacro de carcere missis
Insistam forti mente vehendus equis
Et modo lora dabo, modo verbere terga notabo,
Nunc stringam metas interiore rota.
Si mihi currenti fueris conspecta, morabor,

Deque meis manibus lora remissa fluent.
At quam pæne Pelops Pisæa concidit hasta,
Dum spectat vultus, Hippodamia, tuos!
Nempe favore suæ vicit tamen ille puellæ.
Vincamus dominæ quisque favore suæ!
Quid frustra refugis? cogit nos linea iungi:
Hæc in lege loci commoda circus habet.
Tu tamen, a dextra quicumque es, parce puellæ:
Contactu lateris læditur ista tui.
Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura,
Si pudor est, rigido nec preme terga genu!
Sed nimium demissa iacent tibi pallia terra:
Collige; vel digitis en ego tollo meis.
Invida vestis eras, quæ tam bona crura tegebas;
Quoque magis spectes — invida vestis eras.
Talia Milanion Atalantes crura fugacis
Optavit manibus sustinuisse suis;
Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ,
Cum sequitur fortes fortior ipsa feras.
His ego non visis arsi; quid fiet ab ipsis?
In flammam flammas, in mare fundis aquas.
Suspicor ex istis et cetera posse placere,
Quæ bene sub tenui condita veste latent.
Vis tamen interea faciles arcessere ventos?
Quos faciet nostra mota tabella manu.
An magis hic meus est animi, non aeris æstus,
Captaque femineus pectora torret amor?
Dum loquor, alba levi sparsast tibi pulvere vestis:
Sordide de niveo corpore pulvis abi!
Sed iam pompa venit: linguis animisque favete!
Tempus adest plausus: aurea pompa venit.
Prima loco fertur passis Victoria pinnis:

Huc ades et meus hic fac, dea, vincat amor!
Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis!
Nil mihi cum pelago, me mea terra capit.
Plaude tuo Marti, miles! nos odimus arma:
Pax iuvat et media pace repertus amor.
Auguribus Phœbus, Phœbe venantibus adsit,
Artifices in te verte, Minerva, manus;
Ruricolæ Cereri teneroque adsurgite Baccho,
Pollucem pugiles, Castora placet eques!
Nos tibi, blanda Venus, puerisque potentibus arcu
Plaudimus: inceptis adnue, diva, meis
Daque novæ mentem dominæ: patiatur amari!
Adnuit et motu signa secunda dedit.
Quod dea promisit, promittas ipsa, rogamus:
Pace loquar Veneris, tu dea maior eris.
Per tibi tot iuro testes pompamque deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti.
Sed pendent tibi crura: potes, si forte iuvabit,
Cancellis primos inseruisse pedes.
Maxima iam vacuo prætor spectacula circo
Quadriiugos æquo carcere misit equos.
Cui studeas, video; vincet, cuicumque favebis:
Quid cupias, ipsi scire videntur equi.
Me miserum! metam spatioso circuit orbe.
Quid facis? admoto proxumus axe subit.
Quid facis, infelix? perdis bona vota puellæ:
Tende, precor, valida lora sinistra manu!
Favimus ignavo; sed enim revocate, Quirites,
Et date iactatis undique signa togis!
En, revocant! at, ne turbet toga mota capillos,
In nostros abdas te licet usque sinus.
Iamque patent iterum reserato carcere postes:

Evolat admissis discolor agmen equis.
Nunc saltem supera spatioque insurge patenti:
Sint mea, sint dominæ fac rata vota meæ!
Sunt dominæ rata vota meæ, mea vota supersunt;
Ille tenet palmam: palma petenda meast.»
Risit et argutis quiddam promisit ocellis:
Hic satis est; alio cetera redde loco!

III.

Esse deos i, crede: fidem iurata fefellit,
Et facies illi, quæ fuit ante, manet!
Quam longos habuit nondum periura capillos,
Tam longos, postquam numina læsit, habet;
Candida candorem roseo suffusa rubore
Ante fuit: niveo lucet in ore rubor;
Pes erat exiguus: pedis est artissima forma;
Longa decensque fuit: longa decensque manet;
Argutos habuit: radiant ut sidus ocelli,
Per quos mentitast perfida sæpe mihi.
Scilicet æterni falsum iurare puellis
Di quoque concedunt, formaque numen habet.
Perque suos illam nuper iurasse recordor
Perque meos oculos: et doluere mei!
Dicite, di, si vos inpune fefellerat illa,
Alterius meriti cur ego damna tuli?
An non invidiæ vobis Cepheia virgost,
Pro male formosa iussa parente mori?
Non satis est, quod vos habui sine pondere testis,
Et mecum lusos ridet inulta deos?
Ut sua per nostram redimat periuria pœnam,
Victima deceptus decipientis ero?

Aut sine re nomen deus est frustraque timetur
Et stulta populos credulitate movet,
Aut, siquis deus est, teneras amat ille puellas:
Nimirum solas omnia posse iubet.
Nobis fatifero Mavors accingitur ense,
Nos petit invicta Palladis hasta manu,
Nobis flexibiles curvantur Apollinis arcus,
In nos alta Iovis dextera fulmen habet;
Formosas superi metuunt offendere læsi
Atque ultro, quæ se non timuere, timent.
Et quisquam pia tura focis inponere curat?
Certe plus animi debet inesse viris.
Iuppiter igne suos lucos iaculatur et arces
Missaque periuras tela ferire vetat;
Tot meruere peti: Semele miserabilis arsit!
Officiost illi pœna reperta suo;
At si venturo se subduxisset amanti,
Non pater in Baccho matris haberet opus.
Quid queror et toto facio convicia cælo?
Di quoque hàbent oculos, di quoque pectus habent!
Si deus ipse forem, numen sine fraude liceret
Femina mendaci falleret ore meum;
Ipse ego iurarem verum iurare puellas
Et non de tetricis dicerer esse deus.
Tu tamen illorum moderatius utere dono,
Aut oculis certe parce, puella, meis!

IV.

Dure vir, inposito teneræ custode puellæ
Nil agis: ingeniost quæque tuenda suo.
Siqua metu dempto castast, ea denique castast;

Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut iam servaris bene corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ne velit, ulla potest;
Nec corpus servare potes, licet omnia claudas:
Omnibus exclusis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Desine, crede mihi, vitia inritare vetando:
Obsequio vinces aptius illa tuo.
Vidi ego nuper equum contra sua vincla tenacem
Ore reluctanti fulminis ire modo;
Constitit, ut primum concessas sensit habenas
Frenaque in effusa laxa iacere iuba.
Nitimur in vetitum semper cupimusque negata:
Sic interdictis inminet æger aquis.
Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus: et hos unus sæpe fefellit Amor;
In thalamum Danae ferro saxoque perennem
Quæ fuerat virgo tradita, mater erat:
Penelope mansit, quamvis custode carebat,
Inter tot iuvenes intemerata procos.
Quidquid servatur, cupimus magis, ipsaque furem
Cura vocat: pauci, quod sinit alter, amant.
Nec facie placet illa sua, sed amore mariti:
Nescio quid, quod te ceperit, esse putant.
Non proba fit, quam vir servat, sed adultera cara:
Ipse timor pretium corpore maius habet.
Indignere licet, iuvat inconcessa voluptas:
Sola placet, «timeo» dicere siqua potest.
Nec tamen ingenuam ius est servare puellam:
Hic metus externæ corpora gentis agat!
Scilicet ut possit custos «ego» dicere «feci»,

In laudem servi casta sit illa tui?
Rusticus est nimium, quem lædit adultera coniunx,
Et notos mores non satis Urbis habet,
In qua Martigenæ non sunt sine crimine nati
Romulus Iliades Iliadesque Remus.
Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?
Non possunt ullis ista coire modis!
Si sapis, indulge dominæ vultusque severos
Exue nec rigidi iura tuere viri
Et cole, quos dederit (multos dabit) uxor, amicos:
Gratia sic minimo magna labore venit;
Sic poteris iuvenum convivia semper inire
Et, quæ non dederis, multa videre domi.

V.

Nox erat, et somnus lassos submisit ocellos;
Terruerunt animum talia visa meum:
Colle sub aprico creberrimus ilice lucus
Stabat, et in ramis multa latebat avis;
Area gramineo suberat viridissima prato,
Umida de guttis lene sonantis aquæ;
Ipse sub arboreis vitabam frondibus æstum:
(Fronde sub arborea sed tamen æstus erat)
Ecce, petens variis inmixtas floribus herbas
Constitit ante oculos candida vacca meos,
Candidior nivibus, tunc cum cecidere recentes,
In liquidas nondum quas mora vertit aquas,
Candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet
Et modo siccatam, lacte, reliquit ovem.
Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus,
Cumque sua teneram coniuge pressit humum.

Dum iacet et lente revocatas ruminat herbas
  Atque iterum pasto pascitur ante cibo,
Visus erat, somno vires adimente, feraci
  Cornigerum terra deposuisse caput.
Huc levibus cornix pinnis delapsa per auras
  Venit et in viridi garrula sedit humo
Terque bovis niveæ petulanti pectora rostro
  Fodit et albentis abstulit ore iubas.
Illa locum taurumque diu cunctata relinquit,
  (Sed niger in vaccæ pectore livor erat)
Utque procul vidit carpentes pabula tauros,
  (Carpebant tauri pabula læta procul)
Illuc se rapuit gregibusque inmiscuit illis
  Et petiit herbæ fertilioris humum.
Dic age, nocturnæ, quicumque es, imaginis augur.
  Siquid habent veri, visa quid ista ferant.»
Sic ego; nocturnæ sic dixit imaginis augur,
  Expendens animo singula dicta suo:
«Quem tu mobilibus foliis vitare volebas,
  Sed male vitabas, æstus amoris erat.
Vacca puella tuast: aptus color ille puellæ;
  Tu vir et in vacca conpare taurus eras;
Pectora quod rostro cornix fodiebat acuto,
  Ingenium dominæ lena movebat anus;
Quod cunctata diu taurum sua vacca reliquit,
  Frigidus in viduo destituere toro;
Livor et adverso maculæ sub pectore nigræ
  Pectus adulterii labe carere negant.»
Dixerat interpres: gelido mihi sanguis ab ore
  Fugit, et ante oculos nox stetit alta meos.

VI.

Amnis harundinibus limosas obsite ripas,
Ad dominam propero: siste parumper aquas!
Nec tibi sunt pontes nec quæ sine remigis ictu
Concava traiecto cumba rudente vehat.
Parvus eras, memini, nec te transire refugi,
Summaque vix talos contigit unda meos;
Nunc ruis adposito nivibus de monte solutis
Et turpi crassas gurgite volvis aquas.
Quid properasse iuvat, quid parca dedisse quieti
Tempora, quid nocti conseruisse diem,
Si tamen hic standumst, si non datur artibus ullis
Ulterior nostro ripa premenda pedi?
Nunc ego, quas habuit pinnas Danaeius heros,
Terribili densum cum tulit angue caput,
Nunc opto currum, de quo Cerealia primum
Semina venerunt in rude missa solum.
Prodigiosa loquor veterum mendacia vatum,
Nec tulit hæc umquam nec feret ulla dies;
Tu potius, ripis effuse capacibus amnis,
(Sic æternus eas!) labere fine tuo!
Non eris invidiæ, torrens, mihi crede, ferendæ,
Si dicar per te forte retentus amans.
Flumina deberent iuvenes in amore iuvare;
Flumina senserunt ipsa, quid esset amor:
Inachus in Melie Bithynide pallidus isse
Dicitur et gelidis incaluisse vadis;
Nondum Troia fuit lustris obsessa duobus,
Cum rapuit vultus, Xanthe, Neæra tuos;
Quid? non Alpheon diversis currere terris
Virginis Arcadiæ certus adegit amor?

Te quoque promissam Xutho, Penee, Creusam
Phthiotum terris occuluisse ferunt.
Quid referam Asopon, quem cepit Martia Thebe,
Natarum Thebe quinque futura parens?
Cornua si tua nunc ubi sint, Acheloe, requiram,
Herculis irata fracta querere manu:
Nec tanti Calydon nec tota Aetolia tanti,
Una tamen tanti Deianira fuit.
Ille fluens dives septena per ostia Nilus,
Qui patriam tantæ tam bene celat aquæ,
Fertur in Euanthe collectam Asopide flammam
Vincere gurgitibus non potuisse suis;
Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
Cedere iussit aquam: iussa recessit aqua.
Nec te prætereo, qui per cava saxa volutans
Tiburis Argei pomifera arva rigas,
Ilia cui placuit, quamvis erat horrida cultu,
Ungue notata comas, ungue notata genas:
Illa gemens patruique nefas delictaque Martis
Errabat nudo per loca sola pede;
Hanc Anien rapidis animosus vidit ab undis
Raucaque de mediis sustulit ora vadis
Atque ita «quid nostras» dixit «teris anxia ripas,
Ilia, ab Idæo Laomedonte genus?
Quo cultus abiere tui? quid sola vagaris,
Vitta nec evinctas inpedit alba comas?
Quid fles et madidos lacrimis corrumpis ocellos
Pectoraque insana plangis aperta manu?
Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.
Ilia, pone metus! tibi regia nostra patebit,
Teque colent amnes; Ilia, pone metus!

Tu centum aut plures inter dominabere nymphas:
Nam centum aut plures flumina nostra tenent;
Ne me sperne, precor, tantum, Troiana propago:
Munera promissis uberiora feres.»
Dixerat; illa oculos in humum deiecta modestos
Spargebat teneros flebilis imbre sinus;
Ter molita fugam ter ad altas restitit undas,
Currendi vires eripiente metu;
Sera tamen scindens inimico pollice crinem
Edidit indignos ore tremente sonos:
«O utinam mea lecta forent patrioque sepulcro
Condita, cum poterant virginis ossa legi!
Cur, modo Vestalis, tædas invitor ad ullas
Turpis et Iliacis infitianda focis?
Quid moror et digitis designor adultera vulgi?
Desint famosus quæ notet ora pudor!»
Hactenus, et vestem tumidis prætendit ocellis
Atque ita se in rapidas perdita misit aquas:
Supposuisse manus ad pectora lubricus amnis
Dicitur et socii iura dedisse tori.
Te quoque credibilest aliqua caluisse puella;
Sed nemora et silvæ crimina vestra tegunt.
Dum loquor, increvit latis spatiosius undis,
Nec capit admissas alveus altus aquas:
Quid mecum, furiose, tibi? quid mutua differs
Gaudia? quid cœptum, rustice, rumpis iter?
Quid, si legitimum flueres, si nobile flumen,
Si tibi per terras maxima fama foret?
Nomen habes nullum, rivis collecte caducis,
Nec tibi sunt fontes nec tibi certa domus;
Fontis habes instar pluviamque nivesque solutas,
Quas tibi divitias pigra ministrat hiemps;

Aut lutulentus agis brumali tempore cursus,
  Aut premis arentem pulverulentus humum:
Quis te tum potuit sitiens haurire viator?
  Quis dixit grata voce «perennis eas»?
Damnosus pecori curris, damnosior agris;
  Forsitan hæc alios, me mea damna movent.
Huic ego væ! demens narrabam fluminum amores!
  Iactasse indigne nomina tanta pudet;
Nescio quem hunc spectans Acheloon et Inachon amnem
  Et potui nomen, Nile, referre tuum!
At tibi pro meritis, opto, non candide torrens,
  Sint rapidi soles siccaque semper hiemps!

VII.

At non formosast, at non bene culta puella,
  At, puto, non votis sæpe petita meis.
Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus.
  Sed iacui pigro crimen onusque toro
Nec potui cupiens, pariter cupiente puella,
  Inguinis effeti parte iuvante frui.
Illa quidem nostro subiecit eburnea collo
  Bracchia Sithonia candidiora nive
Osculaque inseruit cupide luctantia linguis
  Lascivum femori supposuitque femur
Et mihi blanditias dixit dominumque vocavit,
  Et quæ præterea publica verba iuvant.
Tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta
  Segnia propositum destituere meum;
Truncus iners iacui, species et inutile pondus,
  Et non exactum, corpus an umbra forem.
Quæ mihi venturast, siquidem ventura, senectus,

Cum desit numeris ipsa iuventa suis?
A! pudet annorum! quare iuvenemque virumque
Nec iuvenem nec me sensit amica virum?
Sic flammas aditura pias æterna sacerdos
Surgit et a caro fratre verenda soror.
At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meost;
Exigere a nobis angusta nocte Corinnam,
Me memini numeros sustinuisse novem.
Num mea Thessalico languent devota veneno
Corpora? num misero carmen et herba nocent,
Sagave pœnicea defixit nomina cera
Et medium tenuis in iecur egit acus?
Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ,
Ilicibus glandes cantataque vitibus uva
Decidit, et nullo poma movente fluunt.
Quid vetat et nervos magicas torpere per artes?
Forsitan inpatiens sit latus inde meum.
Huc pudor accessit facti: pudor ipse nocebat;
Ille fuit vitii causa secunda mei.
At qualem vidi tantum tetigique puellam:
(Sic etiam tunica tangitur illa sua!)
Illius ad tactum Pylius iuvenescere possit
Tithonosque annis fortior esse suis.
Hæc mihi contigerat! sed vir non contigit illi.
Quas nunc concipiam per nova vota preces?
Credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
Muneris oblati pœnituisse deos.
Optabam certe recipi: sum nempe receptus;
Oscula ferre: tuli; proximus esse: fui.
Quo mihi fortunæ tantum? quo regna sine usu?

Quid, nisi possedi dives avarus opes?
Sic aret mediis taciti vulgator in undis
Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.
A tenera quisquam sic surgit mane puella,
Protinus ut sanctos possit adire deos?
Sed, puto, non blandast! non optima perdidit in me
Oscula! non omni sollicitavit ope!
Illa graves potuit quercus adamantaque durum
Surdaque blanditiis saxa movere suis;
Digna movere fuit certe vivosque virosque:
Sed neque tum vixi nec vir, ut ante, fui.
Quid iuvet, ad surdas si cantet Phemius aures?
Quid miserum Thamyran picta tabella iuvat?
At quæ non tacita formavi gaudia mente!
Quos ego non finxi disposuique modos!
Nostra tamen iacuere velut præmortua membra
Turpiter hesterna languidiora rosa:
Quæ nunc, ecce, vigent intempestiva valentque,
Nunc opus exposcunt militiamque suam.
Quin istic pudibunda iaces, pars pessima nostri?
Sic sum pollicitis captus et ante tuis:
Tu dominum fallis, per te deprensus inermis
Tristia cum magno damna pudore tuli.
Hanc etiam non est mea dedignata puella
Molliter admota sollicitare manu;
Sed postquam nullas consurgere posse per artes
Inmemoremque sui procubuisse videt,
«Quid me ludis?» ait, «quis te, male sane, iubebat
Invitum nostro ponere membra toro?
Aut te traiectis Aeaea venefica lanis
Devovet, aut alio lassus amore venis.»
Nec mora, desiluit tunica velata soluta

(Et decuit nudos proripuisse pedes!)
Neve suæ possent intactam scire ministræ,
Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua.

VIII.

Et quisquam ingenuas etiamnunc suscipit artes,
Aut tenerum dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro,
At nunc barbariast grandis, habere nihil.
Cum pulchre dominæ nostri placuere libelli,
Quo licuit libris, non licet ire mihi;
Cum bene laudavit, laudato ianua clausast:
Turpiter huc illuc ingeniosus eo.
Ecce, recens dives parto per vulnera censu
Præfertur nobis sanguine pastus eques.
Hunc potes amplecti formosis, vita, lacertis?
Huius in amplexu, vita, iacere potes?
Si nescis, caput hoc galeam portare solebat;
Ense latus cinctum, quod tibi servit, erat;
Læva manus, cui nunc serum male convenit aurum,
Scuta tulit; dextram tange: cruenta fuit.
Qua periit aliquis, potes hanc contingere dextram?
Heu! ubi mollities pectoris illa tui?
Cerne cicatrices, veteris vestigia pugnæ:
Quæsitumst illi corpore, quidquid habet;
Forsitan et, quotiens hominem iugulaverit, ille
Indicet! hoc fassas tangis, avara, manus:
Ille ego Musarum purus Phœbique sacerdos
Ad rigidas canto carmen inane fores?
Discite, qui sapitis, non quæ nos scimus inertes,
Sed trepidas acies et fera castra sequi

Proque bono versu primum deducite pilum!
Hoc tibi, si velles, posset, Homere, dari.
Iuppiter, admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ pretium virginis ipse fuit:
Dum merces aberat, durus pater, ipsa severa,
Aerati postes, ferrea turris erat;
Sed postquam sapiens se in munera vertit adulter,
Præbuit ipsa sinus et dare iussa dedit.
At cum regna senex cæli Saturnus haberet,
Omne lucrum tenebris alta premebat humus:
Aeraque et argentum cumque auro pondera ferri
Manibus admorat, nullaque massa fuit;
At meliora dabat: curvo sine vomere fruges
Pomaque et in quercu mella reperta cava.
Nec valido quisquam terram scindebat aratro,
Signabat nullo limite mensor humum,
Non freta demisso verrebant eruta remo:
Ultima mortali tum via litus erat.
Contra te sollers, hominum natura, fuisti
Et nimium damnis ingeniosa tuis:
Quo tibi, turritis incingere mœnibus urbes?
Quo tibi, discordes addere in arma manus?
Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses!
Cur non et cælum, tertia regna, petis?
Qua licet, adfectas cælum quoque: templa Quirinus,
Liber et Alcides et modo Cæsar habent.
Eruimus terra solidum pro frugibus aurum;
Possidet inventas sanguine miles opes;
Curia pauperibus clausast; dat census honores;
Inde gravis iudex, inde severus eques.
Omnia possideant; illis Campusque forumque
Serviat, hi pacem crudaque bella gerant:

Tantum ne nostros avidi liceantur amores!
Et (satis est) aliquid pauperis esse sinant!
At nunc, exæquet tetricas licet illa Sabinas,
Imperat ut captæ, qui dare multa potest;
Me prohibet custos, in me timet illa maritum:
Si dederim, tota cedet uterque domo.
O si neclecti quisquam deus ultor amantis
Tam male quæsitas pulvere mutet opes!

IX.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata deas,
Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos!
A! nimis ex vero nunc tibi nomen erit:
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
Ardet in extructo, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert eversamque pharetram
Et fractos arcus et sine luce facem;
Adspice, demissis ut eat miserabilis alis
Pectoraque infesta tundat aperta manu:
Excipiunt lacrimas sparsi per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant:
Fratris in Aeneæ sic illum funere dicunt
Egressum tectis, pulcher Iule, tuis;
Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
Quam iuveni rupit cum ferus inguen aper.
At sacri vates et divum cura vocamur;
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors inportuna profanat,
Omnibus obscuras inicit illa manus!
Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?

Carmine quid victas obstipuisse feras?
Aelinon in silvis idem pater, ælinon, altis
Dicitur invita concinuisse lyra;
Adice Mæoniden, a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno,
Defugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum: Troiani fama laboris
Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
Altera cura recens, altera primus amor.
Quid vos sacra iuvant? quid nunc Aegyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
Cum rapiunt mala fata bonos, (ignoscite fasso!)
Sollicitor nullos esse putare deos.
Vive pius: moriere; pius cole sacra: colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet;
Carminibus confide bonis: iacet, ecce, Tibullus;
Vix manet e toto, parva quod urna capit.
Tene, sacer vates, flammæ rapuere rogales
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa deorum
Urere, quæ tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus, Erycis quæ possidet arces:
Sunt quoque, qui lacrimas continuisse negant.
Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus
Ignotum vili supposuisset humo:
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
Mater et in cineres ultima dona tulit;
Hinc soror in partem misera cum matre doloris
Venit inornatas dilaniata comas,
Cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque priorque

Oscula nec solos destituere rogos.
Delia descendens «felicius» inquit «amata
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.»
Cui Nemesis «quid» ait «tibi sunt mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu.»
Si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
Restat, in Elysia valle Tibullus erit:
Obvius huic venias hedera iuvenalia cinctus
Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo;
Tu quoque, si falsumst temerati crimen amici,
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.
His comes umbra tuast; siquast modo corporis umbra,
Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo!

X.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri:
Secubat in vacuo sola puella toro.
Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda nostra tuis?
Te, dea, munificam gentes ubiquaque loquuntur,
Nec minus humanis invidet ulla bonis.
Ante nec hirsuti torrebant farra coloni,
Nec notum terris area nomen erat,
Sed glandem quercus, oracula prima, ferebant:
Hæc erat et teneri cæspitis herba cibus;
Prima Ceres docuit turgescere semen in agris
Falce coloratas subsecuitque comas,
Prima iugis tauros supponere colla coegit

Et veterem curvo dente revellit humum.
Hanc quisquam lacrimis lætari credit amantum
Et bene tormentis secubituque coli?
Nec tamen est, quamvis agros amet illa feraces,
Rustica nec viduum pectus amoris habet.
Cretes erunt testes; (nec fingunt omnia Cretes;
Crete nutrito terra superba Iove:
Illic, sidéream mundi qui temperat arcem,
Exiguus tenero lac bibit ore puer;
Magna fides testi: testis laudatur alumno)
Fassuram Cererem crimina nota puto.
Viderat Iasium Cretæa diva sub Ida
Figentem certa terga ferina manu;
Vidit, et ut teneræ flammam rapuere medullæ,
Hinc pudor, ex illa parte trahebat amor:
Victus amore pudor: sulcos arere videres
Et sata cum minima parte redire sui:
Cum bene iactati pulsarant arva ligones,
Ruperat et duram vomer aduncus humum,
Seminaque in latos ierant æqualiter agros,
Inrita decepti vota colentis erant.
Diva potens frugum silvis cessabat in altis;
Deciderant longæ spicea serta comæ.
Sola fuit Crete fecundo fertilis anno:
Omnia, qua tulerat se dea, messis erat:
Ipsa, locus nemorum, canebat frugibus Ide,
Et ferus in silva farra metebat aper;
Optavit Minos similes sibi legifer annos,
Optavit, Cereris longus ut esset amor.
Quod tibi secubitus tristes, dea flava, fuissent,
Hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis,
Cur ego sim tristis, cum sit tibi nata reperta

Regnaque quam Iuno sorte minore regat?
Festa dies Veneremque vocat cantusque merumque:
Hæc decet ad dominos munera ferre deos.

XI *A.*

Multa diuque tuli: vitiis patientia victast;
Cede fatigato pectore, turpis amor!
Scilicet adserui iam me fugique catenas,
Et quæ non puduit ferre, tulisse pudet.
Vicimus et domitum pedibus calcamus amorem:
Venerunt capiti cornua sera meo.
Perfer et obdura! dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit lassis sucus amarus opem.
Ergo ego sustinui, foribus tam sæpe repulsus,
Ingenuum dura ponere corpus humo?
Ergo ego nescio cui, quem tu conplexa tenebas,
Excubui clausam, servus ut, ante domum?
Vidi, cum foribus lassus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus.
Hoc tamen est levius, quam quod sum visus ab illo:
Eveniat nostris hostibus ille pudor!
Quando ego non fixus lateri patienter adhæsi,
Ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes?
Scilicet et populo per me comitata placebas:
Causa fuit multis noster amoris amor.
Turpia quid referam vanæ mendacia linguæ
Et periuratos in mea damna deos?
Quid iuvenum tacitos inter convivia nutus
Verbaque conpositis dissimulata notis?
Dicta erat ægra mihi: præceps amensque cucurri;
Veni, et rivali non erat ægra meo.

His et quæ taceo duravi sæpe ferendis:
Quære alium pro me, qui queat ista pati;
Iam mea votiva puppis redimita corona
Lenta tumescentes æquoris audit aquas.
Desine blanditias et verba, potentia quondam,
Perdere: non ego sum stultus, ut ante fui.

XI *B.*

Luctantur pectusque leve in contraria tendunt
Hac amor hac odium, sed, puto, vincit amor.
Odero, si potero; si non, invitus amabo:
Nec iuga taurus amat; quæ tamen odit, habet.
Nequitiam fugio: fugientem forma reducit;
Aversor morum crimina: corpus amo;
Sic ego nec sine te nec tecum vivere possum
Et videor voti nescius esse mei.
Aut formosa fores minus, aut minus inproba, vellem:
Non facit ad mores tam bona forma malos.
Facta merent odium, facies exorat amorem:
Me miserum! vitiis plus valet illa suis!
Parce, per o lecti socialia iura, per omnis,
Qui dant fallendos se tibi sæpe, deos
Perque tuam faciem, magni mihi numinis instar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos!
Quidquid eris, mea semper eris; tu selige tantum,
Me quoque velle velis, anne coactus amem!
Lintea dem potius ventisque ferentibus utar,
Quam, quamvis nolim, cogar, amare velim.

XII.

Quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
Omina non albæ concinuistis aves?
Quodve putem sidus nostris occurrere fatis,
Quosve deos in me bella movere querar?
Quæ modo dicta meast, quam cœpi solus amare,
Cum multis vereor ne sit habenda mihi.
Fallimur, an nostris innotuit illa libellis?
Sic erit: ingenio prostitit illa meo.
Et merito! quid enim formæ præconia feci?
Vendibilis culpa facta puella meast.
Me lenone placet, duce me perductus amator,
Ianua per nostras est adaperta manus.
An prosint, dubium, nocuerunt carmina semper:
Invidiæ nostris illa fuere bonis.
Cum Thebe, cum Troia foret, cum Cæsaris acta,
Ingenium movit sola Corinna meum:
Aversis utinam tetigissem carmina Musis,
Phœbus et inceptum destituisset opus!
Nec tamen ut testes mos est audire poetas;
Malueram verbis pondus abesse meis.
Per nos Scylla patri caros furata capillos
Pube premit rabidos inguinibusque canes;
Nos pedibus pinnas dedimus, nos crinibus angues;
Victor Abantiades alite fertur equo.
Idem per spatium Tityon porreximus ingens,
Et tria vipereo fecimus ora cani;
Fecimus Enceladum iaculantem mille lacertis,
Ambiguæ captos virginis ore viros;
Aeolios Ithacis inclusimus utribus Euros;
Proditor in medio Tantalus amne sitit;

De Niobe silicem, de virgine fecimus ursam;
Concinit Odrysium Cecropis ales Ityn;
Iuppiter aut in aves aut se transformat in aurum
Aut secat inposita virgine taurus aquas;
Protea quid referam Thebanaque semina, dentes;
Qui vomerent flammas ore, fuisse boves,
Flere genis electra tuas, Auriga, sorores,
Quæque rates fuerint, nunc maris esse deas,
Aversumque diem mensis furialibus Atrei
Duraque percussam saxa secuta lyram?
Exit in inmensum fecunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide;
Et mea debuerat falso laudata videri
Femina: credulitas nunc mihi vestra nocet.

XIII.

Cum mihi pomiferis coniunx foret orta Faliscis,
Mœnia contigimus victa, Camille, tibi.
Casta sacerdotes Iunoni festa parabant
Per celebres ludos indigenamque bovem:
Grande moræ pretium ritus cognoscere, quamvis
Difficilis clivis huc via præbet iter.
Stat vetus et densa prænubilus arbore lucus;
Adspice: concedas numen inesse loco;
Accipit ara preces votivaque tura piorum,
Ara per antiquas facta sine arte manus.
Hinc, ubi præsonuit sollemni tibia cantu,
It per velatas annua pompa vias;
Ducuntur niveæ populo plaudente iuvencæ,
Quas aluit campis herba Falisca suis,
Et vituli nondum metuenda fronte minaces

Et minor ex humili victima porcus hara
Duxque gregis cornu per tempora dura recurvo;
Invisast dominæ sola capella deæ:
Illius indicio silvis inventa sub altis
Dicitur inceptam destituisse fugam;
Nunc quoque per pueros iaculis incessitur index
Et pretium auctori vulneris ipsa datur.
Qua ventura deast, iuvenes timidæque puellæ
Præverrunt latas veste iacente vias:
Virginei crines auro gemmaque premuntur,
Et tegit auratos palla superba pedes;
More patrum Graio velatæ vestibus albis
Tradita supposito vertice sacra ferunt.
Ore favent populi tunc, cum venit aurea pompa,
Ipsa sacerdotes subsequiturque suas.
Argivast pompæ facies: Agamemnone cæso
Et scelus et patrias fugit Halæsus opes
Iamque pererratis profugus terraque fretoque
Mœnia felici condidit alta manu;
Ille suos docuit Iunonia sacra Faliscos:
Sint mihi, sint populo semper amica suo!

XIV.

Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso,
Sed ne sit misero scire necesse mihi,
Nec te nostra iubet fieri censura pudicam,
Sed tamen, ut temptes dissimulare, rogat.
Non peccat, quæcumque potest peccasse negare,
Solaque famosam culpa professa facit.
Quis furor est, quæ nocte latent, in luce fateri
Et, quæ clam facias, facta referre palam?

Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti
Opposita populum summovet ante sera:
Tu tua prostitues famæ peccata sinistræ
Commissi perages indiciumque tui?
Sit tibi mens melior, saltemve imitare pudicas,
Teque probam, quamvis non eris, esse putem!
Quæ facis, hæc facito; tantum fecisse negato,
Nec pudeat coram verba modesta loqui!
Est qui nequitiam locus exigat: omnibus illum
Deliciis inple, stet procul inde pudor!
Hinc simul exieris, lascivia protinus omnis
Absit, et in lecto crimina pone tuo!
Illic nec tunicam tibi sit posuisse pudori
Nec femori inpositum sustinuisse femur;
Illic purpureis condatur lingua labellis,
Inque modos Venerem mille figuret amor;
Illic nec voces nec verba iuvantia cessent,
Spondaque lasciva mobilitate tremat!
Indue cum tunicis metuentem crimina vultum,
Et pudor obscenum diffiteatur opus;
Da populo, da verba mihi; sine, nescius errem,
Et liceat stulta credulitate frui!
Cur totiens video mitti recipique tabellas?
Cur pressus prior est interiorque torus?
Cur plus quam somno turbatos esse capillos
Collaque conspicio dentis habere notam?
Tantum non oculos crimen deducis ad ipsos;
Si dubitas famæ parcere, parce mihi!
Mens abit et morior, quotiens peccasse fateris,
Perque meos artus frigida gutta fluit.
Tunc amo, tunc odi frustra, quod amare necessest;
Tunc ego, sed tecum, mortuus esse velim.

Nil equidem inquiram: nec, quæ celare parabis,
Insequar, et falli muneris instar erit;
Si tamen in media deprensa tenebere culpa,
Et fuerint oculis probra videnda meis,
Quæ bene visa mihi fuerint, bene visa negato:
Concedent verbis lumina nostra tuis.
Prona tibi vinci cupientem vincere palmast,
Sit modo «non feci» dicere lingua memor:
Cum tibi contingat verbis superare duobus,
Etsi non causa, iudice vince tuo!

XV.

Quære novum vatem, tenerorum mater Amorum:
Raditur hic elegis ultima meta meis;
Quos ego conposui, Pæligni ruris alumnus,
(Nec me deliciæ dedecuere meæ)
Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo militiæ turbine factus eques.
Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo;
Pælignæ dicar gloria gentis ego,
Quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
Cum timuit socias anxia Roma manus.
Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Mœnia, quæ campi iugera pauca tenent,
«Quæ tantum» dicet «potuistis ferre pœtam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco».
Culte puer puerique parens Amathusia culti,
Aurea de campo vellite signa meo!
Corniger increpuit thyrso graviore Lyæus:
Pulsandast magnis area maior equis.
Inbelles elegi, genialis Musa, valete,
Post mea mansurum fata superstes opus!

ADNOTATIONES EXEGETICÆ.

PROLEGOMENA.

Elegia Romana non est, ut vulgo putabatur, mera imitatio elegiæ Alexandrinæ, sed novum εἶδος poeseos elegiacæ a Cornelio Gallo inchoatum, a Tibullo et Propertio perfectum. Poetæ enim Alexandrini fabulas eroticas elegiis narraverant, Romani autem, quæ in amore ipsi experti essent, cecinerunt, ita tamen, ut argumenta maximam partem ex vita sua desumpta instruxerint ornamentis ex poesi erotica Græcorum mutuatis: sententias enim amatorias ex epigrammatibus eroticis Græcis, res ad vitam meretricum pertinentes ex comœdia Atticorum nova, digressiones mythicas ex elegiis (et epylliis) Alexandrinorum plerumque sumpsisse videntur.*

Quartus in serie elegiacorum Romanorum est Ovidius, qui duabus maxime differt rebus a poetis prioribus: primum, quod in libris Amorum a Græcis pauca tantum sumit, sed totus fere pendet ab auctoribus Romanis, imprimis a Propertio, præterea

* Necessitudinem, quæ inter poetas elegiacos Romanos et Græcos intercedit, accuratius, quam antea factum est, definire temptavi in commentatione Hungarice scripta et sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ iam anno 1903. Budapestini *(A római elegia viszonya a görögöz)* edita. Eadem fere duobus post annis exposuit *F. Jacoby* in ephemeride Germanica *Rheinisches Museum* (a. 1905. p. 38: «Zur Entstehung der römischen Elegie»), sed me primum vidisse verum mox in eadem ephemeride (a. 1905. p. 320.) ipse confessus est.

a Tibullo, Lygdamo, Horatio et Catullo; deinde, quod nihil fere, quod poeta ipse expertus sit quodque vitam sapiat verosque arguat animi sensus, his libris inest, sed pæne omnia ficta et a magistris mutuata.*

Primum enim, quod ad Corinnam, puellam ab Ovidio maxime celebratam, attinet, fictam esse eius personam vel ex eo elucet, quod in carminibus duodecim ei sacratis ubique apparent magistrorum vestigia facillimumque sit, unde argumenta carminum singulorum sumpserit, invenire. Cf. I. 5: Prop. II. 15—I. 11. et 12: Prop. III. 23—II. 6: Catull. 3—II. 7. et 8: Prop. III. 15—II. 11: Prop. I. 8—II. 12: Prop. II. 14—II. 13. et 14: Tib. I. 5, 8—18. et Prop. II. 28—II. 17: Prop. II. 25, 1—4—III. 12: Prop. II. 25, 29—32. et Tib. IV. 13, 5—8.

In quinque elegiis poeta se puellam quandam, quæ virum habeat, amare fingit. Quod ad hæc carmina attinet, in duobus ante oculos habuit Tibullum; cf. I. 4: Tib. I. 2, 21—22. et I. 6, 17—20—II. 19: Tib. I. 6, 15. sqq. Argumenta trium (II. 2, II. 3, III. 4.) ex comœdia Atticorum nova potissimum sumpsisse videtur, ut infra in adnotationibus docebimus.

Inter se cohærere videntur quinque illa carmina, ubi poeta partes viri decepti ipse agit: II. 5, III. 3, III. 11*a* et 11*b*, III. 14. Nam III. 11*a*, vss. 21—22. alludit ad III. 3, 15—16; III. 11*a*. vss. 23—24. ad II. 5, 13—20; III. 14, vss. 39—40. ad III. 11*b*, 1—2. Sed etiam in his carminibus plurima ab aliis sumpta; cf. II. 5: Tib. I. 2, 21—22. et I. 6, 17—20—III. 3: Hor. Carm. II. 8.—III. 11*a*: Prop. III. 24. et 25—III. 11*b*: Catull. 85—III. 14: Prop. II. 32.

* Erravimus certe et *Martinon* (Les Amours d'Ovide, traduction, Paris 1897) et ego (De libris Amorum Ovidianis, Budapestini 1898), qui olim multa in Amorum libris ex vita poetæ petita agnoscere voluimus.

Separari item possunt a ceteris quinque elegiæ, in quibus Ovidius lasciviam suam ingenue fateri videtur. Sed ne hæ quidem ex corde ipsius proficiscuntur: cf. II. 4: Prop. II. 22, 1—18. et II. 25, 39—46—II. 10: Prop. II. 22, 35—42—III. 7: Tib. I. 5, 39—42. et Philodem. Anth. Pal. XI. 30—II. 9*a*: Prop. II. 12, 13—20, cui Ovidius opposuit ex sua, ut videtur, inventione palinodiam: II. 9*b*.

Ex carminibus eroticis, quæ cum aliis non cohærent, Propertio debentur tres; cf. I. 8: Prop. IV. 5—I. 14: Prop. II. 18, 23. sqq. — III. 10: Prop. II. 33, 1—10. In III. 6. (initio et in fine) poeta imitatur Antiphili epigramma Anth. Pal. IX. 277. Ovidii inventa esse videntur quattuor: II. 15, II. 16, III. 2, III. 5.

Loci communes erotici possunt appellari sex elegiæ. Ex his cf. I. 6: Prop. I. 16, 17—44—I. 7: Tib. I. 10, 53—66— I. 13: Meleagr. Anth. Pal. I. 172. et Antipatr. Thessalonic. Anth. Pal. V. 2. Non possunt ad certum quoddam exemplar referri, scatent tamen locis ex Propertio et Tibullo hinc illinc sumptis I. 9, I. 10, III. 8.

Ex carminibus non eroticis pulcherrimum et procul dubio ab Ovidio inventum est epicedium Tibulli: III. 9. In III. 13. describit festum Iunonis Faliscæ, quod ipse vidit, sed ante oculos tamen habuit Prop. IV. 8, 3—14.

Quod ad prologos et epilogos librorum attinet, Ovidii inventa esse videntur I. 1—3, I. 15, III. 1. Sed iam in II. 1. argumentum ex Prop. I. 9. 11—14. est sumptum, in III. 15. autem Prop. I. 22. et IV. 1. imitatur poeta.

In epistula denique ad Macrum scripta (II. 18) ante oculos habuit Propertii epistulam ad Ponticum (I. 7.) scriptam.

Vides iam in his primis poeseos Ovidianæ rudimentis perpauca esse Ovidio propria. Aliquid tamen novi lectoribus obtulit secutus in carminibus componendis præcepta artis rheto-

ricæ; mira autem dicendi elegantia summaque versuum pangendorum arte omnes elegiacos priores longe superare æqualibus videbatur.

Prima Amorum editio ex quinque constitit libris; editio secunda, quæ ad nostram aetatem sola pervenit, in tres libros est distributa, parte elegiarum ab auctore ipso omissa. Carmina quædam Corinnæ sacrata prima se iuventute scribere cœpisse testatur poeta Trist. IV. 10, 57—60; res novissima, ad quam in libris Amorum (I. 14. 45—50.) alludit, est victoria Augusti de Sygambris a. a. Chr. n. 16. reportata.

AD LIBRUM PRIMUM.

I.

Lib. I. eleg. 1.

Elegiæ I—III. artissime cohærent et procemii instar præmittuntur Amorum libris. In I. Cupido poetam heroicum carmen scribere volentem vulnerat sagitta, ne præter amores quidquam scribere possit; in II. scriptor Cupidini se dedit; in III. invenit puellam, cui totam poesin suam sacrare vult.

V. 1—4. *Arma . . . violentaque bella*, argumentum heroici carminis. — *gravi numero*, versu hexametro sive heroico, qui a poetis eroticis etiam durus versus vocatur; cf. Prop. II. 1, 41: «Nec mea conveniunt duro præcordia versu.» *Grave carmen* epos significat etiam apud Prop. I. 9, 9: «Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen?» — *Edere*, narrare populo, ut Lucret, I. 121: «Ennius æternis exponit versibus edens». — *modis*, metro, versibus. — *Par erat inferior versus*, sc. superiori. — *unum surripuisse pedem*, sc. versui inferiori, ut ex hexametro pentameter fieret.

V. 5—8. *Quis tibi, saeve puer*, similiter alloquitur Cupidinem Tib. I. 6, 3: «Quid tibi, sæve, rei mecum est», ubi pro *saevitiae*, quæ est codicum lectio, Postgate rectissime restituisse videtur: *saeve, rei*. — *Pieridum vates, non tua turba sumus*, i. e. nos vates Pieridum turba sumus, non tua. — *Pieridum*, Pierides vocantur Musæ, quarum patria erat terra Pieria sub monte Olympo; cf. Hes. Theog. 52—54: *Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο, Τὰς ἐν Πιερίῃ Κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα Μνημοσύνη*. — *flavae . . . Minervae*, flava erat

dea (cf. Ov. Fast. VI. 652.) et crinibus maxime superbiebat; cf. Serv. ad Verg. Aen. VI. 289: «Medusa erecta favore Neptuni ausa est crines suos Minervæ capillis præferre, qua re indignata dea crines eius in serpentes vertit.» — *Ventilet accensas flava Minerva faces*, ex Prop. IV. 3, 50: «Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem», ubi agitur, ut hoc loco, de face amoris. Fax vulgo Cupidini tribuitur, sed Ovidius hoc loco Propertium imitatus Veneri eam dat.

V. 9—12. *in silvis . . . iugosis*, i. e. montanis; cf. Ov. Her. 4, 86: «Tu modo duritiam silvis . depone iugosis». — *pharetratae virginis*, Dianæ. — *Crinibus insignem . . . Phoebum*, ut etiam Bacchus; cf. Tib. I. 4, 37—38: «Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas: Nam decet intonsus crinis utrumque deum» et IV. 4, 2: «intonsa Phœbe superbe coma». — *acuta cuspide*, telum Marti proprium; cf. Ov. Fast. III. 1—2: «Bellice, depositis clipeo paulisper et hasta, Mars, 'ades». — *Aoniam . . . lyram*, ex Prop. I. 2, 28: «Aoniamque libens Calliopea lyram». Aonia est regio montis Heliconis, sedis Musarum.

V. 15—20. *Heliconia tempe*, vallis sub monte Helicone in Bœotia. *Tempe* vocatur proprie vallis Penei, fluvii Thessaliæ, amœnitate clarissima, sed nomen transfertur ad quamcumque vallem amœnam, ut Ov. Fast. IV. 477: «Eloria tempe» et Met. VII. 371: «Cycneia tempe». — *surrexit*, incepit, ut infra vs. 27: «Sex mihi surgat opus numeris». — *nova pagina*, carmen, ut Verg. Ecl. 6, 11—12: »nec Phœbo gratior ulla est, Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen». — *Attenuat nervos proximus ille meos*, sc. pentameter, qui a poetis eroticis versus mollis vocatur; est enim distichon elegiacum argumentis amatoriis aptissimum. Cf. Hermesianactis versus (apud. Athen. XIII. p. 597. F) de Mimnermo pentametri inventore: *τὸν ἡδὺν ὃς εὗρετο πολλὸν ἀνατλὰς Ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου;* Prop. I. 7, 19: «Et frustra cupies mollem componere versum» et II. 1, 2: «Unde meus veniat mollis in ora liber». — *numeris levioribus*, distichis elegiacis; opponun-

tur *gravi numero* supra vs. 1. commemorato. — *Aut puer aut longas compta puella comas*, cf. Lucr. IV. 1052—1054: «Veneris qui telis accipit ictus, Sive puer membris muliebribus hunc iaculatur, Seu mulier toto iactans e corpore amorem». — *longas compta . . . comas*, poeta ante oculos habuit Lygd. 2. 11: «longos incompta capillos.»

V. 21—24. *pharetra . . . soluta Legit . . . spicula*, pharetra aperta; habebat enim pharetra operculum, quod Græce πῶμα vocabatur. Cf. Hom. Il. IV. 116. (de Pandaro): *Αὐτὰρ ὁ σύλα πῶμα φαρέτρης, ἐκ δ'ἕλετ' ἰόν* et Ov. Met. V. 379—381. (de Amore): «ille pharetram Solvit et arbitrio matris de mille sagittis Unam seposuit». — *Legit*, elegit. — *Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum*, i. e. alterum cornu arcus in terra deposuit, alteri autem genu innixus est itaque curvavit, ut nervum insereret; nervus enim ante usum, ut semper apud veteres, altero tantum fine erat arcui insertus. Cf. Ov. Met. V. 383 (de Amore): «Oppositoque genu curvavit flexile cornum» et Hom. Il. IV. 112—113, ubi Pandarus, antequam sagittam arcui imposuisset: *τὸ (τόξον) μὲν εὖ κατέθηκε τανυσσάμενος, ποτὶ γαίῃ ἀγκλίνας*. — *Lunavit*, curvavit in formam lunæ dimidiatæ; poeta ante oculos habuit Prop. IV. 6, 25: «Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus».

V. 25—30. *Uror*, sc. amore. — *in vacuo pectore*, quia amicam nondum habet; ex Prop. I. 10, 29—30: «Is poterit felix una remanere puella, Qui numquam vacuo pectore liber erit». Cf. Ov. Rem. 752: «Dum bene de vacuo pectore cedat amor». — *Sex . . . numeris*, pedibus. — *Ferrea . . . bella*, crudelia. — *vestris . . . modis*, hexametris sine pentametro. — *Cingere litorea flaventia tempora myrto, Musa*, poeta ante oculos habuit Hor. Carm. III. 30, 15—16: «mihi Delphica Lauro cinge volens, Melpomene, comam.» — *Cingere . . . myrto*, non lauro, nam myrtus Veneri sacra convenit Musæ poeseos eroticæ. Cf. infra I. 15, 37. (poeta de se): «Sustineamque coma metuentem frigora myrtum.» Myrto cingitur etiam Cupido I. 2, 23; myrteam virgam tenet dea Elegia pro sceptro III. 1, 34. — *lito-*

rea . . . myrto, ex Verg. Ge. II. 112: «Litora myrtetis lætissima». — *flaventia tempora*, quia flavo capillorum colore delectabantur maxime Romani; flava erat Delia Tibulli (Tib. I. 5, 44.), fulva Cynthia Propertii (Prop. II. 2, 5.) Flavus erat color amoris et nuptiarum; cf. Catull. 61, 8—10. (de Hymenæo): «Flammeum cape, lætus huc, Huc veni niveo gerens Luteum pede soccum» et 68, 133—134 (de Amore): «Cupido Fulgebat crocina candidus in tunica»; Tib. II. 2 17—18. Cornuto pro amore uxoris vota facienti optat: «Utinam strepitantibus advolet alis Flavaque coniugio vincula portet Amor». — *Musa, per undenos emodulanda pedes*, Musa vs. præcedente deam significat, hoc loco carmen. — *emodulanda*, modulanda, cantanda; vox fortasse ab Ovidio ficta, quæ apud scriptores antiquiores non occurrit.

II.

Lib. I. eleg. 2.

V. 1—4. *Esse quid hoc dicam* etc., amor insomnio vexat homines; poeta ante oculos habuit Prop. I. 4, 20—22 (de Venere): «Nec timet ostrino, Tulle, subire toro Et miserum toto iuvenem versare cubili: Quid relevant variis serica textilibus» et II. 22, 47 (de amante): «Quanta illum toto versant suspiria lecto» et Tib. I. 2, 75—78: «Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo Prodest, cum fletu nox vigilanda venit? Nam neque tum plumæ nec stragula picta soporem Nec sonitus placidæ ducere posset aquæ». — *Strata*, vestis stragula lecto superiecta, in qua dormiebatur. — *pallia nostra*, opertorium, i. e vestis, qua dormientes se texerunt. Eodem sensu infra I. 4, 50. — *sedent*, non manent in lecto, quia iuvenis sollicitus versat corpus; cf. infra vs. 4. — *Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi*, poeta ante oculos habuit Verg. Aen. IV. 193: «Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere» et VIII. 86—87: »Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem Leniit».

V. 5—8. *Nam, puto, sentirem, si quo temptarer amore,*

poeta amicam nondum habet. — *An subit,* sc. furtim, non animadversus. — *tenues . . . sagittae,* acutæ Cupidinis sagittæ; cf. supra I. 1, 25. — *Et possessa ferus pectora versat Amor,* ut Ov. Her. 16, 126: «Et ferus in molli pectore flagrat amor». — *versat,* sollicitat, ut Ennius apud Cic. Cat. Mai. 1: «curamve levasso, quæ te nunc coquit et versat in pectore fixa».

V. 9—14. *bene fertur,* æquo animo. — *Vidi ego iactatas mota face crescere flammas Et rursus nullo concutiente mori,* sententiam a Porcio Latrone rhetore, cuius auditor fuit, mutuatus est poeta; cf. Senec. Controv. II. 2, 8: «Et alium ex illa suasoria sensum æque a Latrone mutuatus est. Memini Latronem in præfatione quadam dicere, quod scolastici quasi carmen didicerant: «Non vides, ut immota fax torpeat, ut exagitata reddat ignes?» — *flammas . . . mori,* exstingui; poeta respexit Prop. IV. 3, 50: «Hanc Venus, ut *vivat,* ventilat ipsa facem». — *Verbera plura ferunt* etc., ex Prop. II. 4, 47—50: «Ac veluti primo taurus detrectat aratra, Mox venit assueto mollis ad *arma* * iugo, Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces, Dehinc domiti post hæc æqua et iniqua ferunt.» — *prensi,* i. e. aratro adiuncti; ex coniectura Marklandii; codices habent *pressi.* Cf. Ov. Rem. 235: «Aspicis, ut prensos urant iuga prima iuvencos?»

V. 15—20. *ad arma facit,* se aptat ad instrumenta equestria; etiam Liv. XXXV. 23. *arma equestria* vocat instrumenta, quibus equites equos ornare solent; cf. Prop. II. 3, 46—48: »taurus . . . venit assueto mollis *ad arma* iugo». *Facere* ad aliquid: eodem sensu occurrit infra III. 11, 42.: «Non facit ad mores tam bona forma malos» i. e. non convenit. — *Acrius invitos* etc., ex Tib. I. 8, 7—8: «Desine dissimulare: deus (sc. Amor) crudelius urit, Quos videt invitos succubuisse sibi» et Prop. I. 9, 34: «Dicere, quo pereas, sæpe in amore iuvat». — *Porrigimus victas . . . manus,* i. e. manus damus ad vinciendum. — *ad tua iura,* tuum imperium ferre parati.

* Ita scribendum videtur, non *arva,* ut vulgo.

V. 23—26. *Necte comam* etc., vss. 23—46. sequitur descriptio triumphi Amoris ad exemplum triumphi Romani. — *myrto*, non lauro, ut triumphatores Romani, sed myrto Veneri sacra; cf. supra adn. ad I. 1, 29. Ceterum in ovationis pompa etiam Romani imperatores myrto coronabantur; cf. Gell. N. A. V. 6: «Ovalis corona murtea est; ea utebantur imperatores, qui ovantes urbem introibant». — *maternas iunge columbas*, columbas Veneri sacras currui adiunge pro equis. Currum Veneris columbæ (ut Sapph. fr. 1) aut olores (ut Hor. Carm. III. 28, 15 et IV. 1, 10.) trahere solent. — *Qui deceat*, sc. triumphantem. — *currum vitricus ipse dabit*, Mars dabit tibi currum suum bellicum. — *vitricus*, Mars, amator Veneris; cf. infra II. 9, 48: «Quod dubius Mars est, per te, privigne Cupido, est». — *populo clamante triumphum*, i. e. io triumphe, ut infra vs. 34.

V. 31. *Mens Bona*, quia Propertius III. 24, 19. Cynthiæ valedicens tutelæ Mentis Bonæ se commendavit: «Mens Bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono».

V. 34—36. *Vulgus io magna voce triumphe canet*, ex Tib. II. 5, 118: «Miles io magna voce triumphe canet.» — *Blanditæ*, blanda verba amantium, de quibus Tib. I. 4, 71: «Blanditiis vult esse locum Venus ipsa.» — *Adsidue partes turba secuta tuas*, poeta ante oculos habuit Prop. III. 1, 12: «Scriptorumque meas turba secuta rotas.»

V. 38. *nudus*, inermis.

V. 39—42. *Læta triumphanti de summo mater Olympo Plaudet*, poeta ante oculos habuit Tib. I. 6, 83—84: «Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo Spectat.» — *mater*, Venus, mater Cupidinis. — *adpositas . . . rosas*, quæ Venus sibi apponi iussit, ut in filium spargeret. — *Tu pinnas gemma . . . variante*, ut Ov. Rem. 39: «movit Amor gemmatas aureus alas.» — *aureus ipse*, capillis aureis (*χρυσοχαίτης*), ut etiam *χρυσέη Ἀφροδίτη*.

V. 46. *Fervida vicino flamma vapore nocet*, quia Amor facem tenet manu et urit prope stantes. — *vapore*, calore.

V. 47—48. *domita Bacchus Gangetide terra,* de Baccho Indiæ domitore cf. Prop. III. 17, 22: «Indica Nysæis arma fugata choris.» — *alitibus,* columbis; cf. supra vs. 23. — *tigribus,* tigres, lynces aut pantheræ vehebant currum Bacchi; poeta ante oculos habuit Verg. Aen. VI. 804—805: «qui pampineis victor iuga flectit habenis, Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.»

V. 51—52. *cognati . . . Cæsaris,* Augusti, quia a Venere, matre Aeneæ, originem ducebat gens Iulia. — *Qua vicit, victos protegit ille manu,* ex Prop. II. 16, 41—42: «Cæsaris hæc virtus et gloria Cæsaris hæc est: Illa, qua vicit, condidit arma manu».

III.

Lib. I. eleg. 3.

V. 1—6. *quæ me nuper prædata puella est,* ex Prop. II. 1, 55: «Una meos quoniam prædata est femina sensus». — *Audierit nostras tot Cytherea præces,* poeta fortasse respexit Tib. (Sulp.) IV, 7, 3—4: «Exorata meis illum Cytherea Camenis Attulit in nostrum deposuitque sinum». — *Audierit,* coni. perf. pro coni. præs., ut Lygd. 6, 8: «Fulserit hic niveis Delius alitibus». — *Cytherea,* Venus ab insula Cytherorum, ubi dea in mari nata in litus escendit; cf. Hesiod. Theog. 195. et 197—198: *τὴν δ' Ἀφροδίτην Κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἀνέρες, οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ θρέφθη, ἀτὰρ Κυθέρειαν, ὅτι προσέκυρσε Κυθήροις.* — *qui pura norit amare fide,* ut Ov. A. A. III. 544: «Et nimium casta scimus amare fide».

V. 7—10. *Si me non veterum commendant magna parentum Nomina,* non sum nobili (senatoria) familia ortus; poeta ante oculos habuit Prop. II. 24, 37—38. (de se): «Certus eras eheu, quamvis nec sanguine avito Nobilis et quamquam non ita dives eras» et II. 34, 55—56: «Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est, Nullus et antiquo Marte triumphus avi». — *si nostri sanguinis auctor eques,* nostra gens a proavo equite

originem ducit; erat enim Ovidius equestri familia ortus, ut etiam infra III. 15, 5—6. testatur: «Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres, Non modo militiæ munere factus eques». *Nec meus innumeris renovatur campus aratris*, ex Prop. III. 5, 5: «Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur». — *renovatur*, invertitur quotannis denuo ad novam sationem; poeta imitatur Lygd. 3, 5: «Aut ut multa mei *renovarent* iugera tauri», nam verbum renovandi tali sensu apud scriptores Lygdamo antiquiores non occurrit. Cf. etiam Ovid. Met. I. 110: «Nec renovatus ager gravidis canebat aristis», Met. XIV. 125: «durum renovaverat arvum» et Fast. I. 159: «Tum patitur cultus ager et renovatur aratro». — *parcus uterque parens*, cf. quæ Ovidius Trist. IV. 10, 21—22. dicit de patre suo studia filii poetica improbante: «Sæpe pater dixit: Studium quid inutile temptas? Mæonides nullas ipse reliquit opes».

V. 11—16. *At Phœbus comitesque novem vitisque repertor Hinc faciunt*, ex Lygd. 4, 43—44: «casto nam rite poetæ Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent». — *vitisque repertor*, nam præter Phœbum et Musas etiam Bacchus tutatur poetas; cf. Prop. III. 3, 7: «nobis et Baccho et Apolline dextro» et Hor. Ep. I. 19, 4: «Ascripsit Liber Satyris Faunisque poetas». — *Hinc faciunt*, mihi favent, a mea parte stant; eodem sensu: «illinc facere» Cic. ad Att. VII. 3, 5; «una facere» Cic. Sull. 36. — *at me qui tibi donat Amor*, ut Ov. Her. 20, 228: «Amplius utque nihil me tibi iungit amor». — *nulli cessura fides*, i. e. nullius hominis fide deterior. — *sine crimine mores*, ut Ov. Her. 20, 227: «Sunt et opes nobis, sunt et sine crimine mores». — *desultor amoris*, qui ab altera puella ad alteram transit; desultores enim vocabantur equites ludentes in circo, de quibus cf. Prop. IV. 2, 36: «Traicit alterno qui leve pondus equo», Manil. V. 85. sqq.: «Nec non alterno desultor . . . dorso Quadrupedum et stabiles poterit defigere plantas, Perque volabit equos ludens per terga volantum» et Liv. XXIII. 29, 5: «Quibus desultorum in modum binos trahenti-

bus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos est». Poeta respexit Messallæ Corvini, fautoris sui, facete dictum de Dellio; cf. Senec. Suas. I. 7: «Dellius . . . quem Messalla Corvinus desultorem bellorum civilium vocat, quia ab Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset: a Cassio deinde transiit ad Antonium, novissime ab Antonio transfugit ad Cæsarem».

V. 17—20. *Tecum . . . Vivere contingat teque dolente mori,* poeta ante oculos habuit Tib. I. 1, 57—62: «Non ego laudari curo, meo Delia: tecum Dummodo sim, quæso, segnis inersque vocer. Te spectem, suprema mihi cum venerit hora, Te teneam moriens deficiente manu. Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto, Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis». — *fila sororum,* Parcarum, ut Hor. Carm. II. 3, 15—16: «Dum . . . sororum Fila trium patiuntur». — *Provenient causa carmina digna sua,* cf. infra II. 17, 34. ad Corinnam: «Ingenio causas tu dabis una meo».

V. 21—26. *exterrita cornibus Io,* amica Iovis in vaccam mutata; cf. de ea Ov. Met. I. 639—641: «Venit et ad ripas, ubi ludere sæpe solebat, Inachidas ripas novaque ut conspexit in unda Cornua, pertimuit seque exsternata refugit» et Ovid. Her. 14, 89—92. — *Et quam fluminea lusit adulter ave,* Leda, Tyndarei uxor, quam Iuppiter in cycnum mutatus adiit; cf. Ov. Her. 17, 47—48: «Matris (sc. Ledæ) in admisso falsa sub imagine lusæ Error inest: plumis tectus adulter erat». — *lusit,* elusit, fefellit. — *Quæque super pontum* etc., Europa, filia Agenoris, regis Phœnicum, quam Iuppiter in taurum mutatus per mare in Cretam vexit; cf. Ov. A. A. III. 252: «Perve fretum falso, Sidoni, vecta bove». — *Virginea tenuit cornua vara manu,* cf. de Europa Mosch. 2, 125. sqq.: *Ἡ δ' ἄρ' ἐφεζομένη Ζηνὸς βοέοις ἐπὶ νώτοις Τῇ μὲν ἔχεν ταύρου δολιχὸν κέρας, ἐν χερὶ δ' ἄλλῃ Εἵρυε πορφυρέην κόλπου πτύχα . . . Κολπώθη δ' ἀνέμοισι πέπλος βαθὺς Εὐρωπείης;* Moschum imitatur Ov. Met. II. 873—875: «pavet hæc litusque ablata relictum Respi-

cit et dextra cornum tenet, altera dorso Imposita est; tremulæ sinuantur flamine vestes». — *Nos quoque*, sc. ego. — *pariter cantabimur*, similiter, i. e. etiam mea carmina cantabuntur, sicut carmina poetarum illorum, qui de Io, Leda et Europa scripserunt. — *Iunctaque semper erunt nomina nostra tuis*, cogitandum de Corinna, nam poeta in elegiis nullam puellam præter Corinnam nomine notat. — *nomina nostra*, mea.

IV.

Lib. I. eleg. 4.

Poeta cum amica et coniuge eius convivium celebraturus monitis instruit puellam, quomodo amantes coram viro occulta mutui amoris signa dare possint. Auctor est Tibullus I. 2, 21—22. (monita ad Deliam):

> . . . viro coram nutus conferre loquaces
> Blandaque compositis abdere verba notis

et I. 6, 17—20. (monita ad virum Deliæ):

> Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto,
> Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
> Neu te decipiat nutu digitoque liquorem
> Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas.

Ex his locis profectus composuit totam elegiam suam Ovidius, qui idem fere argumentum tractat etiam infra II. 5, 13—28., nisi quod ibi viri decepti partes ipse agit, et A. A. I. 569—584.

V. 1. *epulas nobis . . . easdem*, pronomen *idem* cum dativo ad exemplum Græcorum, qui ταὐτὸ cum eodem casu iungunt; cf. Lucret. III. 1037—1038: «Homerus Sceptra potitus eadem aliis sopitu quietest» et Hor. A. P. 467: «Invitum qui servat, idem facit occidenti».

V. 4—5. *tangi quem iuvet*, quia puella iuxta virum suum accumbit mensæ. — *apte subiecta*, se arte applicans viro.

V. 7—10. *posito quod candida vino Atracis ambiguos traxit in arma viros,* cogitandum de nuptiis Hippodamiæ et Pirithoi, cum propter feminas exorta est celeberrima Centaurorum cum Lapithis pugna. Poeta ante oculos habuit Prop. II. 6, 17—18. (de zelotypia): «Aspera Centauros eadem dementia iussit Frangere in adversum pocula Pirithoum»; cf. Ov. Her. 17, 249—250: «An fera Centauris indicere bella coegit Atracis Hæmonios Hippodamia viros?» — *posito . . . vino,* apposito, i. e. in convivio; ex Prop. II. 2, 9—10: «Qualis et Ischomache, Lapithæ genus, heroine Centauris posito grata rapina mero». — *candida,* pulchritudine fulgens. — *Atracis,* Hippodamia, filia regis Lapitharum in Thessalia, ita nominata ab Atrace, urbe Thessaliæ. — *ambiguos . . . viros,* duplicis formæ, ex viro et equo compositi, ut erant Centauri. — *Nec mihi silva domus,* ut Lapithis; cf. infra adn. ad II. 12, 19: «silvestris Lapithas».

V. 11—12. *nec Eurus Da mea nec tepidis verba ferenda Notis,* dicuntur enim proverbiali locutione omnia, quæ ad irritum cadunt, ventis auferri; poeta ante oculos habuit Tib. I. 5, 35—36: «Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque Notusque Iactat odoratos vota per Armenios» et Lygd. 4, 95—96: «Hæc deus in melius crudelia somnia vertat Et iubeat tepidos irrita ferre Notos».

V. 17—20. *Me specta nutusque meos vultumque loquacem, Excipe furtivas et refer ipsa notas,* ex Tib. I. 2, 21—22: «Illa viro coram nutus conferre loquaces Blandaque compositis abdere verba notis» et I. 6, 19: «Nec te decipiat nutu». Cf. Ov. A. A. I. 574: «Atque oculos oculis spectare fatentibus ignem». — *Verba superciliis sine voce loquentia dicam,* ut Ov. A. A. I. 574: «Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet». — *Verba leges digitis, verba notata mero,* ex Tib. I. 6, 19—20: «digitoque liquorem Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas». — *digitis . . . notata,* digitis litterarum formas imitando, ut infra II. 5, 18: «nec in digitis littera nulla fuit» et Ovid. Herod. 17, 83—84: «A quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi Signa supercilio pæne loquente dari». — *notata mero,* sc. in mensa;

cf. Ov. Her. 17, 89—90: «Orbe quoque in mensæ legi sub nomine nostro, Quod deducta mero littera fecit: amo» et A. A. I. 571—572: «Blanditiasque leves tenui perscribere vino, Ut dominam in mensa se legat illa tuam».

V. 27—32. *tangunt quo more precantes,* sc. ut precantes aras deorum tangere solent. — *Quod tibi miscuerit,* intellege potionem more veterum ex vino et aqua mixtam. — *sapias,* coniunctivus hortativus in parenthesi: sis prudens. — *leviter posce,* submissa voce, ut infra I. 6, 12; decet enim mulierem in convivio modeste loqui. — *quod ipsa voles,* sc. bibere. — *Quæ tu reddideris, ego primus pocula sumam Et, qua tu biberis, hac ego parte bibam,* ut Ov. Her. 17, 81—82: «pocula proxima nobis Sumis, quaque bibi, tu quoque parte bibis» et A. A. I. 575—576: «Fac primum rapias illius tacta labellis Pocula, quaque bibit parte puella, bibas». Simile est A. A. I. 577—578: «Et quemcumque cibum digitis libaverit illa, Tu pete dumque petes, sit tibi tacta manus».

V. 35—40. *Nec premat impositis sinito tua colla lacertis,* ut Ov. Her. 16, 221—222: «Pænitet hospitii, cum me spectante lacertos Imposuit collo rusticus iste tuo». — *Nec sinus admittat digitos habilesve papillæ,* cf. infra II. 15, 11—12: «Tunc ego si cupiam dominæ tetigisse papillas Et lævam tunicis inseruisse manum». — *habilesve papillæ,* erant enim tales, quales describuntur infra I. 5, 20: «Forma papillarum quam fuit apta premi». — *Oscula si dederis, fiam manifestus amator,* ad hunc locum alludit Ov. A. A. II. 551—552: «Oscula vir dederat, memini, suus: oscula questus Sum data», — *Et dicam: mea sunt, iniciamque manum,* ut infra II. 5, 30: «Iniciam dominas in mea iura manus» et Ov. Her. 12, 158: «Clamarem: meus est, iniceremque manus». Alludit ad rei vindicationem in legis actione, de qua Gai. IV. 16: «Si in rem agebatur, mobilia quidem et moventia, quæ modo in ius adferri adducive possent, in iure vindicabantur ad hunc modum: qui vindicabat, festucam tenebat, deinde *ipsam rem adprehendebat,* velut hominem, et ita dicebat: «Hunc ego hominem ex

iure Quiritium meum esse aio». *mea sunt*, mihi debita; cf. Tib. I. 9, 77- 78: «Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus, Tune aliis demens *oscula* ferre *mea* ?»

V. 41—46. *pallia*, convivæ leviore vestitu mensæ accumbebant, sed inferiorem corporis partem opertorio tegebant; hoc significat *pallium*, ut supra I. 2, 2., ubi vide adn. — *caeci . . . timoris*, incerti; poeta enim non potest certo scire, quid sub pallio fiat. — *femori committe femur*, ut Tib. I. 8, 26: «femori conseruisse femur». — *Exemplique metu torqueor ipse mei*, ut infra II. 18, 20: «Ei mihi, præceptis urgeor ipse meis» et II. 19, 34: «Ei mihi, ne monitis torquear ipse meis». Simile est Tib. I. 6, 9— 10: «Ipse miser docui, quo posset ludere pacto Custodes: heu heu nunc premor arte mea».

V. 47—50. *Veste sub iniecta dulce peregit opus*, cf. Ovid. Her. 16, 223—224: «Rumpor et invideo . . . Membra superiecta cum tua veste fovet». — *dulce . . . opus*, sensu obsceno, ut Ov. A. A. II. 480: «Arte Venus nulla dulce peregit opus» et Her. 15, 46: «cum fit amoris opus». Etiam *opus* sine epitheto ponitur sensu obsceno apud poetas eroticos, ut infra II. 10, 36: «Cum moriar, medium solvar et inter opus» et Tib. I. 9, 63—64: «Illa nulla queat melius consumere noctem Aut operum varias disposuisse vices». — *Conscia . . . pallia*, sceleris conscia.

V. 51—54. *adde merum*, sc. potioni, ut fortior fiat vini et aquæ mixtura; eodem sensu Tib. I. 2, 1: «Adde merum vinoque novos compesce dolores» et Lygd. 6, 62: «Tu, puer, i, liquidum fortius adde merum». — *compositus somno vinoque*, tamquam sepultus; componi enim dicebantur proprie, quorum ossa collecta et in urna composita condebantur in sepulcro, ut Lygd. 2, 26: «Sic ego componi versus in ossa velim». Poeta ante oculos habuit Verg. Aen. II. 265: «Invadunt urbem somno vinoque sepultam».

V. 55—58. *Cum surges abitura domum* etc., ad vss. 55 –58. cf. Ov. A. A. I. 603—606: «At cum discedet mensa conviva remota, Ipsa tibi accessus turba locumque dabit: Insere te turbæ

leviterque admotus eunti Velle latus digitis et pede tange pedem».

V. 65—70. *Blanditiae taceant,* blanda verba in ipso concubitu, de quibus infra III. 14, 25: «Illic (sc. in lecto) nec voces nec verba iuvantia cessent». — *illum quoque ne iuvet,* sc. Venus (supple ex vs. præcedente), quæ hoc loco, ut sæpissime, ipsum concubitam significat. — *dedisse,* apud poetas eroticos absolute positum significat: dare Veneris gaudia viro; contrarium est: *negare* pariter positum, ut infra II. 19, 20.

V.

Lib. I. eleg. 5.

Propertius II. 15. descripsit noctem felicem cum Cynthia peractam, cuius exemplum sequitur hac elegia Ovidius, nisi quod pro nocte meridiem Veneri fruendæ destinat.

V. 1—4. *membra levanda toro,* ex Tib. I. 1, 44: «membra levare toro». — *Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestræ,* cf. Ov. A. A. III. 807—808 (de concubitu): «Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris: Aptius in vestro corpore multa latent». Cogitandum de fenestris, quæ tabulis ligneis claduntur. — *Quale fere silvæ lumen habere solent,* cf. Ov. A. A. II. 621—623: «Tum quoque, cum solem nondum prohibebat et imbrem Tegula, sed quercus tecta cibumque dabant, In nemore atque antris, non sub Iove, iuncta voluptas».

V. 5—8. *fugiente*]... *Phœbo,* sole occidente. — *Aut ubi nox abiit nec tamen orta dies,* tempore diluculi. — *Illa verecundis lux est præbenda puellis,* cf. Ov. A. A. II. 619—620: «Et si non tenebras, at quiddam nubis opacæ Quærimus atque aliquid luce patente minus»; Eurip. fr. 524. N² (apud Stob. Flor. 64, 10): *Ἡ γὰρ Κύπρις πέφυκε τῷ σκότῳ φίλη, Τὸ φῶς δ' ἀνάγκην προστίθησι σωφρονεῖν.*

V. 9—12. *tunica velata recincta,* eadem verba in fine hexametri Ov. A. A. I. 529; cf. etiam infra III. 1, 51. et 7, 81: «tu-

nica velata soluta». — *dividua . . . coma,* effusa cf. Ov. A. A. III. 783—784. (de muliere in cubiculum ad amatorem eunte): «Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleia mater,* Solvere et effusis colla reflecte comis». — *famosa Semiramis,* regina Babylonis, mulier libidinosa; cf. Schol. ad Iuven. 2, 108: «Semiramis uxor Nini, Babylonis civitatis conditrix a filio suo, cuius concubitus inceste concupierat, occisa est». — *multis Lais amata viris,* poeta ante oculos habuit Prop. II. 6, 1—2: «Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes, Ad cuius iacuit Græcia tota fores» et ibid. 6: «Phryne tam multis facta beata viris». — *Lais,* meretrix Corinthia celeberrima, amica Aristippi, Diogenis et Demosthenis.

V. 13—14. *Deripui tunicam* etc., ex Prop. II. 1, 13: «nuda erepto mecum luctatur amictu» et II. 15, 17—18: «Quodsi pertendens animo vestita cubaris, Scissa veste meas experiere manus». — *rara,* tenuis.

V. 19—22. *Quos umeros* etc., similis enumeratio apud Philodemum (Anth. Pal. V. 132, 1—4.): *Ὦ ποδός, ὦ κνήμης, ὦ τῶν ἀπόλωλα δικαίως Μηρῶν, ὦ γλουτῶν, ὦ κτενός, ὦ λαγόνων, Ὤμων, ὦ μαστῶν, ὦ τοῦ ῥαδινοῖο τραχήλου, Ὦ χειρῶν, ὦ τῶν μαίνομαι ὀμματίων.* — *Forma papillarum quam fuit apta*

* Hoc loco *Phylleia mater* mulierem Thessalam bacchantem significat, quod fugit huc usque interpretes. Feminæ enim Thessalæ, Laodamiæ comites, ab ipso Ovidio Her. 13, 35. *matres Phylleides* appellantur a Phyllo, Thessaliæ oppido; orgia autem Bacchi non solum in Thracia, sed etiam in Thessalia frequentia fuisse docent poetæ, ut Prop. I. 3, 5—6: «Nec minus assiduis Edonis fessa choreis Qualis in herboso concidit *Apidano*» (i. e. in flumine Thessaliæ) et Lucan. Phars. I. 674: «nam qualis vertice *Pindi* (i. e. monte Thessaliæ) Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.» Mater igitur hoc loco ponitur pro muliere, ut apud Verg. Ge. IV. 520. *Ciconum matres* et Ov. Met. VI. 69. *matres Edonides* appellantur Bacchæ, quæ Orphea discerpserunt. Cf. etiam Ov. Her. 10, 48: «Aut ego diffusis erravi sola capillis, Qualis ab Ogygio concita Baccha deo» et picturas antiquorum notissimas, ubi Bacchæ conspiciuntur effusis comis colla reflectentes.

premi, ex Prop. II. 15, 21—22: «Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ: Viderit hæc, si quam iam peperisse pudet». — *castigato . . . pectore* tamquam emendato, sine menda; cf. Ov. A. A. III. 781: «Cui femur est iuvenale, carent quoque pectora menda». — *planus . . . venter,* sine rugis, quales in ventre habent puerperæ; hoc timens Corinna fetum abegit, unde indignatio poetæ infra II. 14, 7—8: «Scilicet ut careat rugarum crimine venter, Sternetur pugnæ tristis harena tuæ» et monitum eiusdem A. A. III. 785—786. (de concubitu): «Tu quoque, cui rugis uterum Lucina notavit, Ut celer aversis utere Parthus equis». — *Quantum et quale latus,* longum latus intellege, quod pulchrum videbatur antiquis; cf. adn. infra ad I. 14, 4: «qua patet usque latus» et Ov. A. A. III. 780: «Femina per longum conspicienda latus».

V. 25—26. *Cetera quis nescit,* talis ἀποσιώπησις etiam in Græcorum poesi erotica frequens; cf. Philodem. Anth. Pal. V. 4, 6: *Ἤδη τῆς Παφίης ἴσθι τὰ λειπόμενα;* Lucian. Deor. dial. 11, 2: *οἶσθα, τί οὖν ἄν σοι λέγοιμι τὰ μετὰ ταῦτα;* Aristæn: Epist. I. 16. (sub finem): *τὰ δ' ἄλλα, οἶδας γὰρ ὁποῖα τὰ λοιπά.* — *Proveniant,* succedant, bene cedant.

VI.

Lib. I. eleg. 6.

Querela amatoris ante ianuam clausam amicæ, i. e. *παραχλαυσίθυρον* (Plut. Erot. 8.), ut Græci hoc genus carminis vocant, cuius exempla sunt apud Romanos præter hanc elegiam Hor. Carm. III. 10. et Prop. I. 16, 17—44. Ovidius inprimis Propertium sequitur, nisi quod apud Propertium amator ad ianuam, Ovidius autem ad ianitorem preces dirigit.

Pars carminis (vss. 17—56.) distribuitur in quinque strophas octonos versus continentes, ubi singulæ strophæ clauduntur versu intercalari («Tempora noctis eunt, excute poste seram»), quo ad exemplum bucolicæ poeseos (cf. Theocr. 2. et

Verg. Ecl. 8.) uti videtur Ovidius. Ceterum versus intercalaris occurrit etiam Ov. Her. 9, 143. sqq.

V. 1—2. *Ianitor . . . dura religate catena,* ianitor erat servus, qui plerumque catena alligatus servabat ianuam in vestibulo; cf. Tib. I. 1, 55—56: «Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ Et sedeo duras ianitor ante fores». — *indignum,* exclamatio; poeta miseratur sortem ianitoris benevolentiam eius captans. — *Difficilem . . . forem,* quæ non potest facile exorari, ut pateat; ex Tib. I. 2, 10: «Ianua difficilis». — *moto cardine pande,* ex Tib. I. 2, 10: «Neu furtim verso cardine aperta sones».

V. 5—8. *amor tales corpus tenuavit in usus,* macri sunt amantes in poesi erotica; cf. infra II. 9, 14: «ossa mihi nuda reliquit amor». Poeta ante oculos habuit Prop. I. 5, 21—22: «Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum Aut cur sim toto corpore nullus ego» et II. 22, 21: «exiles videor tenuatus in artus» et Tib. II. 3, 9: «Nec quererer, quod sol graciles exureret artus». — *subducto corpore,* dempta carne; corpus enim ossibus oppositum sæpe carnem significat. Cf. Phædr. III. 7, 5: «quo cibo fecisti tantum corporis», quod respondet Græco *σωματοποιεῖν.* — *Ille per excubias custodum leniter ire Monstrat, inoffensos dirigit ille pedes,* ex Tib. I. 2, 19—20: «Illa (sc. Venus) docet molli furtim derepere lecto, Illa pedem nullo ponere posse sono» et II. 1, 75—76: «Hoc duce (sc. Amore) custodes furtim transgressa iacentes Ad iuvenem tenebris sola puella venit».

V. 9—14. *At quondam noctem* etc., vss. 9—14. poeta ante oculos habuit Tib. I. 2, 23—28: «Nec docet (sc. Venus) hoc omnes, sed quos nec inertia tardat Nec vetat obscura surgere nocte timor. En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe . . . Nec sinit, occurrat quisquam, qui corpora ferro Vulneret aut rapta præmia veste petat. Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque Qualibet: insidias non timuisse decet». — *simula-*

craque vana timebam, umbras mortuorum; cf. infra vs. 13: «umbras nocte volantis». — *Risit, ut audirem,* i. e. tanta voce risit, ut audirem. — *leviter,* submissa voce, ut supra I. 4, 30. — *umbras nocte volantis,* umbras mortuorum vagantes; ex Tib. I, 5, 52: «Hanc volitent animæ circum, sua fata querentes». — *Nec timeo strictas in mea fata manus,* etiam Prop. III. 16, 13—14. dicit: «Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris: Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet». — *strictas . . . manus,* tamquam ad cædem paratas; ad normam: stricto gladio. Cf. Ov. Trist. V. 2, 30: «Ut taceam strictas in mea fata manus». — *in mea fata,* in meam mortem.

V. 15—16. *lentum,* inexorabilem. — *tibi blandior uni,* ut Ov. A. A, II. 527: «Postibus et duræ supplex blandire puellæ». — *fulmen habes,* ut Iuppiter; idem dicitur infra II. 1, 19—20. de ianua: «Iuppiter, ignoscas: nil me tua tela iuvabant; Clausa tuo maius ianua fulmen habet».

V. 17—20. *uti videas,* ex coniectura Ehwaldi; cod. Parisinus habet: *ut videas,* Sangallensis: *ut invideas.* — *Uda sit ut lacrimis ianua facta meis,* ex Prop. III. 15, 9: «Limina iam nostris valeant lacrimantia verbis». — *cum posita stares ad verbera veste,* servi verberabantur nudi.

V. 23—24. *quid obstat,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *excute poste seram,* sera enim inserebatur posti, cum ianua clauderetur; cf. infra II. 1, 27—28: «insertaque posti . . . sera».

V. 25—28. *Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua,* i. e. manumittaris aliquando; proverbialis locutio esse videtur. — *Roboribus duris,* quia ex robore, i. e. quercu, facta est sera; cf. infra II. 1, 27—28: «insertaque posti, Quamvis robur erat, carmine victa sera est».

V. 31. *excludis amantem,* in fine hexametri *excludis amantes* etiam Tib. II. 4, 39. et Ov. A. A. III. 69.

V. 34. *Solus eram,* hoc loco *eram* ponitur pro *essem,* ut infra I. 14, 3: «At si passa fores, quid *erat* spatiosius illis?»

V. 37—38. *modicum . . . vinum,* venit enim amator ex con-

vivio. — *circum mea tempora vinum,* quia vinum in caput escendit; cf. Tib. I. 2, 3: «multo percussum tempora Baccho» et I. 7, 50: «multo tempora funde mero». — *madidis lapsa corona comis,* quia convivæ læti capillos unguentis odoratis madefaciebant et capita coronis ornabant.

V. 41—44. *Lentus es,* quia huc usque ianitorem exorare non potuit. — *amantis,* ex coniectura Heinsii; codd. habent: *amanti.* — *in mediæ sidera noctis,* sidera, quæ locum in horas mutant, signant tempora noctis. Alibi *sidera* ipsam noctem significant, ut Prop. I. 3, 38: «Languidus exactis heu mihi sideribus».

V. 47. *Dummodo sic, in me duræ transite catenæ,* eadem ellipsis infra II. 16, 19—20: «Tum mihi, si premerem ventosas horridus Alpes, Dummodo cum domina, molle fuisset iter». — *duræ transite catenæ,* quibus ianitor vinctus est.

V. 49. *verso sonuerunt cardine postes,* quod fit, cum ianitor aperire vult ianuam; ex Tib. I. 2, 10: «Neu furtim verso cardine aperta sones».

V. 51. *impulsa est animoso ianua vento,* ex Hor. Carm. III. 10, 5—6: «Audis, quo strepitu ianua ... remugiat?» — *animoso,* violento.

V. 53—56. *Si satis es raptæ, Borea, memor Orithyiæ,* i. e. si recordaris te quoque sensisse amorem, nunc tunde et effringe ianuam amanti crudelem; Boreas enim amavit et rapuit Orithyiam, filiam Erechthei, regis Attici. Poeta ante oculos habuit Prop. II. 26, 51: «Crudelem et Boream rapta Orithyia negavit» et III. 7, 13: «Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ». Cf. etiam Ov. Her. 18, 39—46. — *surdas ... fores,* quæ non exaudiunt amantem. — *vitreoque madentia rore Tempora,* i. e. ut Ov. Her. 10, 7—8. dicit: «vitrea quo primum terra pruina Spargitur». — *vitreo ... rore,* splendido; cf. Hor. Carm. III. 13, 1: «O fons Bandusiæ, splendidior vitro». — *madentia rore Tempora,* poeta ante oculos habuit Tib. II. 4, 12: «Omnia nunc tristi tempora felle madent».

V. 57—58. *ferroque ignique* etc., poeta ante oculos habuit

Stratonis epigramma (Anth. Pal. XII. 252.): *Ἐμπρήσω σε, θύρη, τῇ λαμπάδι καὶ τὸν ἔνοικον Συμφλέξας μεθύων εὐθὺς ἄπειμι φυγὰς* et Theocr. 2, 127: *Εἰ σ' ἀλλᾷ μ' ὠθεῖτε καὶ ἃ θύρα εἴχετο μόχλων, Πάντως καὶ πελέχεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας.* Cf. etiam Hor. Carm. III. 26, 6—8: «hic, hic ponite lucida *Funalia* et *vectis* et arcus Oppositis foribus minaces». -- *ignique . . . ipso,* eo ipso. -- *o ianitor, ipso,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. -- *Quem face sustineo,* facem tenet manu, ut omnes, qui noctu ex convivio domum abire volunt per plateas urbis obscuras.

V. 63—66. *sollicito carcere dignus eras,* ut custos esses carceris tristis. - *Iamque pruinosos molitur Lucifer axes,* Lucifero, stellæ matutinæ, ut soli et lunæ, currum tribuit poeta, ut etiam infra II. 11, 56: «Lucifer admisso tempora portet equo». Ante oculos habuit Tib. I. 9, 62: «Dum rota Luciferi provocet orta diem». --- *pruinosos . . . axes,* ut infra I. 13, 2. (de Aurora): «pruinoso quæ vehit axe diem» et I. 13, 10. (de eadem): «Roscida purpurea supprime lora manu». — *ales,* gallus.

V. 67—70. *At tu, non lætis detracta corona capillis, Dura super tota limina nocte iace,* ut Ov. A. A. II. 528: «Et capiti demptas in fore pone rosas» et Rem. 32: «Et tegat ornatas multa corona fores» et Met. XIV. 708- 709: «Interdum madidas lacrimarum rore coronas Postibus intendit». Poeta ante oculos habuit Lucret. IV. 1177—1178: «At lacrimans exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit» et Prop. I. 16, 7—8. (ianua de se): «Et mihi non desunt turpes pendere corollæ Semper et exclusi signa iacere faces». -- *Tu dominæ, cum te proiectam mane videbit,* contrarium dicit Ov. A. A. III. 72. de muliere senescente: »Sparsa nec invenies limina mane rosa».

V. 71—74. *Qualiscumque vale sentique abeuntis honorem,* poeta iterum ad ianitorem verba dirigit: «Qualiscumque es, tamen *vale* dico tibi neque te fraudo salutationis honore». — *Qualiscumque vale,* ex Prop. III. 21, 16: «Qualiscumque mihi

tuque puella vale». - *Lente nec admisso turpis amante,* qui inexorabilis es neque te dedecorasti amatore admisso. Ianitor enim iussu viri puellæ custodit limen et officio suo honeste satisfecit, cum amantem furtim non admisit. Nam etiam apud poetas eroticos sæpe *turpe* vocatur, quidquid ad amorem illegitimum pertinet; cf. Prop. I. 16, 7: «turpes corollæ», i. e. quibus exclusus amator fores operit; ibid. 22: «Turpis et in tepido limine somnus erit», de somno amatoris exclusi; Prop. II. 3, 4: «Et turpis de te iam liber alter erit», ubi poeta alterum elegiarum suarum librum ita nominat propter argumenta erotica. — *conservæ . . . fores,* quæ una cum ianitore serviunt limen custodientes; ex Plaut. Asin. 386., ubi servus atriensis dicit ianuam pulsanti: «Nolo ego fores, conservas meas, a te verberarier».

VII.

Lib. I. eleg. 7.

Vehementissime se incusat poeta, quod furore abreptus puellæ amatæ crines laniaverit genasque ungue notaverit. Auctor est Tib. I. 10, 53- 66:

Sed Veneris tunc bella calent scissosque capillos
Femina perfractas conqueriturque fores:
Flet teneras obtusa genas: sed victor et ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixæ mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
A, lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
Verberat: e cælo deripit ille deos.
Sit satis e membris tenuem rescindere vestem,
Sit satis ornatus dissoluisse comæ,
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui sævus erit, scutumque sudemque
Is gerat et miti sit procul a Venere.

V. 1—4. *Adde manus in vincla meas*, insere manus in vincla, i. e. in catenas; cf. infra II. 10, 14: «In freta collectas alta quid addis aquas» et III. 8, 48: «discordes addere in arma manus». — *Flet mea vesana læsa puella manu*, ex Tib. I. 10, 55—56: «Flet teneras obtusa genas: sed victor et ipse Flet sibi dementes tam valuisse manus».

V. 5—10. *Tunc*, sc. in furore. — *potui*, potuissem. — *Sæva vel in sanctos verbera ferre deos*, ex Tib. I. 10, 59—60: «A, lapis est ferrumque, suam quicumque puellam Verberat: e cælo deripit ille deos». — *Quid? non* etc., poeta, ut se excuset, adfert duo furoris exempla mythica, Aiacem et Orestem. Eadem furoris exempla apud Hor. Sat. II. 3, 132—141. et 193—204. — *clipei dominus septemplicis Aiax*, eadem verba Ov. Met. XIII. 2. Agitur de Aiace, Telamonis filio, de quo Hom. Il. VII. 129. sqq.: *Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος ἠύτε πύργον, Χάλκεον ἑπταβόειον, ὅ οἱ Τύχιος κάμε τεύχων, Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος, Ὑλῇ ἔνι οἰκία ναίων, Ὃς οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον ἑπταβόειον Ταύρων ζατρεφέων, ἐπὶ δ' ὄγδοον ἤλασε χαλκόν.* Cf. Ov. A. A. III. 112: «Cui tegimen septem terga fuere boum». — *Stravit deprensos lata per arva greges*, furore abreptus, quod Achivi arma Achillis mortui non ipsi, sed Ulixi adiudicassent. Hæc fabula est argumentum tragœdiæ Sophocleæ, quæ *Aiax* inscribitur. — *deprensos*, repentino impetu eos agressus. — *vindex in matre patris*, qui matrem suam Clytæmnestram occidit, ut patris ab ea occisi mortem ulcisceretur. — *malus ultor*, scelestus. — *Ausus in arcanas poscere tela deas*, ut abigeret Furias, quæ eum post cædem matris persequebantur. — *arcanas*, occultas, quia Furias Orestem persequentes nemo præter Orestem vidit.

V. 11—14. *Ergo ego digestos potui laniare capillos*, ad hunc versum alludit Ov. A. A. II. 169: «Me memini iratum dominæ laniare capillos»; cf. Tib. I. 10, 62: «Sit satis ornatus dissoluisse comæ». — *digestos*, eleganter comptos. — *laniare*, scindere et dissolvere. — *talem*, i. e. effusis capillis. — *Schœneida*, Atalante. Duæ Atalantæ in fabulis occurrunt: altera Bœotia,

filia Schœnei, altera Arcadia, filia Iasii, quæ tamen apud poetas sæpissime confunduntur. Utraque est venatrix celeberrima. — *Mœnalias*, Arcadicas; est enim Mœnalus mons Arcadiæ.

V. 15—18. *Talis periuri promissaque velaque Thesei Flevit præcipites Cressa tulisse Notos*, ex Lygd. 6, 39—40: «Gnosia, Theseæ quondam periuria linguæ Flevisti ignoto sola relicta loco». — *Cressa*, Ariadna, filia Minois, regis Cretæ, quæ Theseo filum dedit, ne labyrinthi errore deciperetur. Theseus domum navigans puellam secum duxit, sed mox in insula Dia (Naxo) perfide reliquit. — *Sic*, sc. effusis comis. — *vittatis quod erat Cassandra capillis, Procubuit templo, casta Minerva, tuo*, ex Verg. Aen. II. 403—404: »Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ». Cum enim Troia caperetur, Aiax, Oilei filius, Cassandram ex æde Minervæ, quo confugerat, protraxit. — *vittatis . . . capillis*, vittas gerebat in capite, quia erat vates et sacerdos Apollinis.

V. 19—22. *Quis mihi non «demens!», quis non mihi «barbare!» dixit*, hoc loco ut etiam infra vs. 27. et 61., poeta ante oculos habuisse videtur *Περικειρομένην*, deperditam Menandri comœdiam. Cf. Philostr. Epist. 61. (64.), ubi Menandri fabulam expressit: *τίς σε, ὦ καλή, περιέκειρεν; ὡς ἀνόητος καὶ βάρβαρος*. Ceterum etiam apud Menandrum Polemo iuvenis vehementer se incusavit, quod puellæ amatæ capillos zelotypia incitatus detonsisset. — *Egit . . . reum*, proprie dicitur de accusatione apud iudices.

V. 23. *Ante meos umeris vellem cecidisse lacertos*, ex Tib. I. 6, 73—74: «Non ego te pulsare velim, sed, venerit iste Si furor, optarim non habuisse manus.» Cf. etiam Prop. II. 7, 7: «Nam citius paterer caput hoc discedere collo.»

V. 25. *Et valui poenam fortis in ipse meam*, ex Tib. I. 10, 55—56: «sed victor et ipse Flet sibi dementes tam valuisse manus.»

V. 27. *caedis . . . ministrae*, cædem appellat, quod capillis fecit, ut Menandri Polemo in *Περικειρομένῃ* secundum Philostr. Epist. 16. (26. init.): *μεταγιγνώσκει τῷ φόνῳ τῶν τριχῶν*.

V. 29. *Quiritem*, civem Romanum.

V. 31—34. *Pessima Tydides scelerum monimenta reliquit*, nam Diomedes, Tydei filius, Venerem ipsam vulneravit secundum Hom. Il. V. 311. sqq. — *saevus in hoste*, ut Lygd. 6, 19: «nec torvus Liber in illis.» Et Lygdamus et Ovidius Propertium imitantur, qui sæpe habet *in* cum ablativo personæ, ubi agitur alicuius erga aliquem affectu, ut Prop. I. 13, 7—8: «Perditus in quadam tardis pallescere curis Incipis», III. 8, 28: «Semper in irata pallidus esse velim», II. 4, 18: «gaudeat in puero» etc.

V. 35—40. *molire*, para. — *Cinge comam lauro*, ut triumphatores Romani. — *votaque redde Iovi*, nam imperatores post triumphum in æde Iovis Capitolini sacrificabant. — *comitantum*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. Quod ad genitivi pluralis formam attinet, cf. Ov. A. A. I. 633: «amantum», Met. V. 356: «silentum», Met. X. 657: «dicentum.» — *Ante eat . . . captiva*, nam captivi reges ante currum triumphatoris ire solebant. — *effuso . . . capillo*, ut lugentes solent. — *læsæ . . . genæ*, cf. infra vs. 50: «ingenuas ungue notare genas» et Tib. I. 10, 55: «Flet teneras obtusa genas.»

V. 41—42. *impressis . . . livere labellis*, propter oscula violenta. — *collo blandi dentis habere notam*, cf. Tib. I. 6, 13—14: «livor . . . Quem facit impresso mutua dente Venus» et I. 8, 38: «in collo figere dente notas.»

V. 45—48. *Nonne satis fuerat* etc., vss. 45—48. poeta ante oculos habuit Tib. I. 10, 61—63: «Sit satis e membris tenuem rescindere vestem, Sit satis ornatus dissoluisse comæ, Sit lacrimas movisse satis.» — *tunicam . . . deducere*, scindendo. — *mediæ zona tulisset opem*, tunicam enim zona continere solebant.

V. 49—50. *At nunc sustinui raptis a fronte capillis*, similiter dicit Paulus Silentiarius, certe antiquius exemplum secutus, Anth. Pal. V. 248, 1—2: *Ὦ παλάμη πάντολμε, σὺ τὸν παγχρύσεον ἔτλης Ἀπρὶξ δραξαμένη βόστρυχον αὐερύσαι.* — *sustinui*, potui. — *raptis a fronte capillis*, cf. Ov. A. A. III. 570: «Nec raptus flendi causa capillus erit.» — *Ferreus*, crudelis. —

ingenuas ungue notare genas, cf. Ov. A. A. III. 568: «Nec dominæ teneras adpetet ungue genas.» — *ingenuas*, honestas.

V. 51—54. *Pariis . . . iugis*, Parus est insula maris Aegæi, ubi cædebatur marmor candore celeberrimum; cf. Verg. Aen. III. 126: «niveamque Paron» et Ov. Met. VII. 465: «marmoreamque Paron.» — *populeas . . . comas*, frondes; ex Tib. I. 4, 29—31: «deperdit . . . Quam cito formosas populus alba comas.»

V. 58. *abiecta de nive*, de cælo tamquam abiecta; cf. Ov. A. A. II. 232: «via per iactas candida facta nives.»

V. 61. *ante pedes volui procumbere supplex*, etiam Menandri Polemo in *Περιχειρομένῃ* secundum Philostr. Epist. 16. (26. init.): *κλάει γοῦν καταπεσὼν καὶ μεταγιγνώσκει τῷ φόνῳ τῶν τριχῶν.*

V. 63—66. *At tu ne dubita* etc., vss. 63—65. ex Prop. III. 8, 3—7: «Tu vero nostros audax invade capillos et mea formosis unguibus ora nota, Tu minitare oculos subiecta exurere flamma.»

V. 68. *Pone . . . in statione*, in ordine; cf. Ov. A. A. III. 434. — *recompositas*, iterum comptas.

VIII.

Lib. I. eleg. 8.

Monita lenæ ad amicam poetæ: præferendum esse divitem amatorem poetæ pauperi quamvis ingenioso. Et argumentum et compositionem carminis ex Prop. IV. 5. sumpsit poeta. Plura vide infra in adnotationibus.

V. 1—4. *Est quædam*, vss. 1—22. inducitur lena anus, magicarum artium perita, ut Prop. IV. 5, 1—20. — *nomine Dipsas* sitiens, i. e. vinosa. Apud Prop. IV. 5, 61. nomen lenæ est Acanthis, sed quia Propertius vs. 2. de eadem dixit: «Et tua, quod non vis, sentiat umbra *sitim*», nomen quoque ad exemplum Propertii finxisse putandus est Ovidius. — *nigri non illa parentem Memnonis in roseis sobria vidit equis*, quia etiam

mane ebria erat propter potationem nocturnam; poeta ante oculos habuit Tib. I. 3, 93—94: «hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis.» — *nigri . . . parentem Memnonis,* Auroram, cuius filius erat Memnon, rex Aethiopum; cf. Verg. Aen. I. 489: «nigri Memnonis arma.» Ovidius ipse dicit infra I. 13, 33. (ad Auroram): «erat tibi filius ater.» — *in roseis . . . equis,* in curru equis roseis vecto; cf. Verg. Aen. VI. 535: «roseis Aurora quadrigis» et VII. 26: «Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.»

V. 5—8. *Aeæaque carmina,* Colchica, i. e. magica, ut Medeæ; Aea enim vocabatur terra, ubi regnabat Aeetes, Medeæ pater, rex Colchorum. Cf. infra III. 7, 79: «Aeæa venefica.» — *Inque caput liquidas arte recurvat aquas,* ut Tib. I. 2, 44. de saga: «Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.» — *caput,* fons. — *liquidas,* fluentes. — *quid gramen . . . valeat,* magnus est herbarum in magia usus; cf. Prop. IV. 5, 11—12. (de Acanthide): «Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas, Stantia currenti diluerentur aqua.» — *torto concita rhombo Licia,* in magia amatoria utebantur feminæ rhombo, i. e. rota, quam versabant magicum carmen canentes ita, ut filum quoddam ei circumvolveretur; credebant enim viros ita ad se trahi posse. Cf. Theocr. 2, 17: «*Ἴυγξ, ἕλκε τὸ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.* Poeta ante oculos habuit Hor. Epod. 17, 7: «Citum retro solve, solve, cardinem» et Prop. III. 6, 26: «Staminea rhombi ducitur ille rota.» — *torto . . . rhombo,* versato, ex Prop. II. 22, 35: «magico torti sub carmine rhombi.» — *concita,* celeriter mota. — *virus amantis equæ,* ex Prop. IV, 5, 17—18: «in me Hippomanes, fetæ semina legit equæ» et Tib. II. 4, 58: «Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.» Hippomanes erat humor effluens ex inguine equæ coitus cupidæ, quo in venenis et philtris faciendis utebantur sagæ; cf. Verg. Ge. III. 280—283: «hippomanes vero quod nomine dicunt Pastores, lentum destillat ab inguine *virus,* Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ Miscuerantque herbas et non innoxia verba.»

V. 9—12. *Cum voluit, toto glomerantur nubila cælo, Cum voluit, puro fulget in orbe dies,* ex Tib. I. 2, 49—50: «Cum libet, hæc tristi depellit nubila cælo, Cum libet, æstivo convocat orbe nives.» — *in orbe,* cælo, ut Tib. l. l. — *Sanguine . . . stellantia sidera vidi,* quod fit, cum sagæ sidera de cælo deducere temptant. Ex Tib. I. 2, 43: «Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi.» — *Sanguine . . . stellantia,* i. e. sanguineo colore, rubra luce fulgebant stellæ. — *Purpureus Lunæ sanguine vultus erat,* ut infra II. 1, 23: «Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ»; talis enim est color lunæ in eclipsi, antiqui autem credebant lunam a sagis devotam deficere. Cf. Prop. IV. 5, 13. (de Acanthide): «Audax cantatæ leges imponere lunæ.»

V. 13—18. *Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras,* etiam Acanthis Propertii (IV. 5, 14.) solebat: «sua nocturno fallere terga lupo» i. e. in lupum se vertere. Hoc loco agitur de Dipsade in avem versa. — *pluma corpus anile tegi,* in striges se vertere solebant sagæ; cf. Ov. Fast. VI. 139—142: «Est illis strigibus nomen, sed nominis huius Causa, quod horrendum stridere nocte solent . . . carmine fiunt Næniaque in volucres Marsa figurat anus.» — *oculis quoque pupula duplex,* tales pupillas habent feminæ, quæ visu fascinare et nocere possunt; cf. Plin. N. H. VII. 18: «Feminas quidem omnes ubique visu nocere, quæ duplices pupillas habeant, Cicero quoque apud nos auctor est.» — *Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris Et solidam longo carmine findit humum,* ex Tib. I. 2, 45—46: «Hæc cantu finditque solum manesque sepulcris Elicit.» Cf. Ov. Rem. 253—254: «Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra, Non anus infami carmine rumpet humum.»

V. 19—22. *Hæc sibi proposuit thalamos temerare pudicos,* cf. Prop. IV. 5, 6. (de Acanthide): «Concordique toro pessima semper avis.» — *Nec tamen eloquio lingua nocente caret,* apud Prop. IV. 5, 19—20. Acanthis: «Exorabat opus verbis, ceu blanda pererrat Saxosamque ferit sedula lympha viam.» — *Fors me sermoni testem dedit; illa monebat Talia (me dupli-*

ces occluuere fores), hæc res apud Propertium non occurrit; poeta ante oculos habuisse videtur Plaut. Most. I. 3., ubi Philolaches secreto exaudit colloquium puellæ amatæ et ancillæ partes lenæ agentis; cf. etiam adn. ad vss. 109—114. infra, ubi poetam idem exemplar respexisse verisimile est. — *duplices . . . fores*, quæ duas valvas habent, ut Ov. Met. IV. 4: «bifores valvæ.» Etiam infra II. 12, 27. *duplices* vocat tabulas ceratas, quia ex duobus tabellis (diptychon) constant.

V. 23—26. *Scis here*, etc., vss. 23—108. sequuntur monita lenæ, ut apud Prop. IV. 5, 21—60. — *Scis here te, mea lux, iuueni placuisse beato*, ex Prop. II. 22, 1: «Scis here mi multas pariter placuisse puellas.» — *here*, rarior forma pro *heri*. — *beato*, diviti. — *dignus corpore cultus*, ad vestitus elegantiam referendum.

V. 28—32. *Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis*, i. e. præterito tempore non potuisti felix esse in amore, quia stella Martis fulgebat in cælo; Mars autem est deus belli et discordiarum, amori inimicus. — *oppositi*, tamquam obstantis fortunæ tuæ; cf. infra III. 12, 3: «Quodve putem sidus nostris *occurrere* fatis?» — *contraria*, inimica. — *Mars abiit*, occidit, non conspicitur iam in cælo. — *signo nunc Venus apta suo*, nunc exorta est cælumque tenet Veneris stella, amori amica. — *signo*, stella. — *apta*, sc. tibi et amori. — *Prosit ut adveniens*, i. e. quantopere tibi prosit Venus adveniens, i. e. exoriens, in cælo apparens. — *adspice*, vide; cf. Prop. II. 16, 29: «Adspice, quid donis Eriphyle invenit amaris.» — *dives amator Te cupiit*, cf. Tib. I. 5, 47—48: «Hæc nocuere mihi, quod adest huic dives amator: Venit in exitium callida lena meum.» — *curæ, quid tibi desit, habet*, curabit, ut habeas dignum corpore cultum; cf. supra vs. 26.

V. 35—36. *decet alba quidem pudor ora*, sc. rubor pudoris in facie alba. — *iste, Si simules, prodest; verus obesse solet*, etiam Acanthis dicit apud Prop. IV. 5, 28: «Frange et damnosæ iura pudicitiæ.»

V. 39—44. *immundæ Tatio regnante Sabinæ*, ex Prop. II.

32, 47—48: «Qui quærit Tatios veteres durosque Sabinos, Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.» Cf. Ov. Medic. 11: «Forsitan antiquæ Tatio sub rege Sabinæ Maluerint, quam se, rura paterna coli.» — *immundæ,* non cultæ. — *Tatio,* Titus Tatius, rex Sabinorum, qui per aliquod tempus una cum Romulo regnavit Romæ. — *Sabinæ,* severitatis exempla. — *Mars externis animos exercet in armis,* quia Augustus bellis civilibus finem fecit et post pugnam Actiacam tantum in extremis imperii oris bella gessit. — *At Venus Aeneæ regnat in urbe sui,* ut Ov. A. A. I. 60: «Mater in Aeneæ constitit urbe sui.» — *Ludunt,* sensu erotico: lusus amoris exercent. — *rogavit,* apud poetas eroticos significat: Veneris gaudia poscere a puella. — *rusticitas,* stultitia; rusticas vocat Ovidius sæpius feminas, quæ lusus amoris exercere nesciunt.

V. 45—48. *Has quoque, quæ frontis rugas in vertice portant, Excute,* i. e. noli credere illis feminis, quæ severitatem præ se ferunt. — *quæ . . . portant,* ex coniectura P. Burmanni; codices habent: *quas . . . portas,* quod hoc loco sensu caret. — *frontis rugas in vertice portant,* in capite; frontis rugæ sunt signa severitatis. Poeta sequitur Prop. II. 34, 23—24: «Sed nunquam vitæ fallet me ruga severæ: Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.» — *Excute: de rugis crimina multa cadent,* feminas in fronte rugosas excute (i. e. proprio sensu: quassa), sicut rugas in sinu togæ excutere solemus, ut, quidquid inest, decidat. Romani enim in sinu togæ pecuniam aliasque res ponere solebant. — *Penelope iuvenum vires temptabat in arcu,* quod Homerus Od. XXI. de Penelope et de procis eius arcum Ulixis tendere iussis narrat, in obscenum detorserunt poetæ erotici; Ovidium imitari videtur Priap. 68, 31—36: «E quibus (sc. procis) ut scires (sc. Penelope), quis quoque valentior esset, Hæc es ad arrectos verba locuta viros: Nemo meo melius nervum tendebat Ulixe, Sive illi laterum seu fuit artis opus. Qui quoniam periit, vos nunc intendite; quem iam Esse virum sciero, vir sit ut ille meus.» — *latus,* vires lateris, i. e. lumbi, ut infra II. 10, 25; III. 7, 36. et III.

8, 14. — *corneus arcus*, qualis fuit arcus Pandari Hom. Il. IV. 105. sqq. descriptus.

V. 49—53. *Labitur occulte fallitque volubilis ætas, Ut celer admissis labitur amnis aquis*, ut Ov. A. A. III. 61—62: «Dum licet et veros etiam nunc degitis annos, Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.» — *occulte*, non animadversa. — *fallitque*, quia non sentimus cursum ætatis. — *admissis . . . aquis*, rapidis, ut infra III. 6, 86: «Nec capit admissas alveus altus aquas» et Ov. Her. 2, 114: «admissas exigit Hebrus aquas.» Proprie dicitur de equis, qui habenis remissis (laxatis) celerrime currunt. — *vestis bona quærit haberi*, vult gestari. — *Canescunt*, senescunt, i. e. corrumpuntur. — *turpi . . . situ*, sordibus, quia non curantur. — *admittas*, apud poetas eroticos significat: virum ad se admittere; contrarium est: *negare*. Cf. Prop. III. 21, 7: «Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negarit.» — *nullo exercente senescit*, ut ager, qui non exercetur, i. e. non colitur; contrarium dicit Ov. A. A. III. 82: «continua messe senescit ager.»

V. 54—56. *satis effectus*, utilitatis. — *unus et alter*, unus vel duo, i. e. pauci, ut infra II. 5, 22. — *Plena venit canis de grege præda lupis*, ut Ov. A. A. III. 419: «Ad multas lupa tendit oves, prædetur ut unam»; cf. Tib. I. 1, 33—34: «exiguo pecori furesque lupique Parcite: de magno est præda petenda grege.» — *canis . . . lupis*, Hor. Carm. III. 27, 3. lupam appellat *ravam*, qui color medius est inter flavum et cæsium; cf. Ov. Met. I. 237—238: «Fit lupus et veteris servat vestigia formæ, Canities eadem est» et ibid. VII. 550: «Non cani tetigere lupi.»

V. 57—62. *tuus . . . vates*, Ovidius ipse. — *amatoris milia multa feres*, poeta ante oculos habuit Prop. IV. 5, 53—54: «Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum: Versibus auditis quid nisi verba feres?» — *amatoris*, sc. divitis illius amatoris supra vs. 31. commemorati. — *milia multa*, sc. sestertium. — *feres*, accipies; ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Ipse deus vatum palla spectabilis aurea*

Tractat inauratæ consona fila lyræ, i. e. etiam deus vatum, Apollo, amat aurum. Poeta ante oculos habuit Lygd. 4, 35–38: «Ima videbatur talis inludere palla . . . Artis opus raræ, fulgens testudine et auro, Pendebat læva garrula parte lyra»; cf. Ov. A. A. II. 493–494: «Apollo Movit inauratæ pollice fila lyræ.» Cogitandum de Apolline citharoedo, cuius statua a Scopa facta stabat in æde Apollinis Palatini ab Augusto dedicata. *palla . . . aurea,* qualis decet citharoedum; cf. Rhet. ad Herenn. 4, 60: «citharoedus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata.» — *inauratæ . . . lyræ,* cf. Apul. Flor. I. p. 342. de Apolline: «lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegatur.» – *fila lyræ,* chordæ, ut Ov. A. A. II. 494. — *Qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero,* cf. Ov. A. A. II. 279–280: «Ipse licet venias Musis comitatus Homere, Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.» – *res est ingeniosa dare,* cf. infra III. 8, 3–4: «Ingenium quondam fuerat pretiosius auro, At nunc barbariast grandis habere nihil.»

V. 63–66. *Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus, Despice: gypsati crimen inane pedis,* i. e. ne libertos quidem despice; ex Prop. IV. 5, 51–52: «Aut quorum titulus per barbara colla pependit, Cretati medio cum saluere foro» et Tib. II. 3, 59–60: «regnum ille tenet, quem sæpe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes.» — *capitis mercede redemptus,* libertus; *caput* enim apud iurisconsultos Romanos significat iura civilia, unde *capitis deminutio.* Capitis igitur mercede se redimit servus, qui peculio collecto emit a domino libertatem et iura civilia. *gypsati . . . pedis,* gypso aut creta notabantur pedes servorum venalium trans mare Romam advectorum et in catasta expositorum; cf. Plin. N. H. XXXV. 199: «creta . . . qua circum præducere ad victoriæ notam pedesque venalium trans mare advectorum denotare instituerunt maiores . . . talem in catasta videre Chrysogonum Sullæ.» – *veteres circum atria ceræ,* imagines cereæ maiorum in atriis nobilium; locum imitatur Juv. 8, 19–20: «Tota licet veteres exornent undique ceræ Atria.» — *circum atria,* ex coniectura N. Heinsii;

codices habent *quinquatria*, quod procul dubio corruptum. — *Tolle tuos tecum, pauper amator, avos*, cf. Prop. II. 16, 11—12: «Cynthia non sequitur fasces nec curat honores: Semper amatorum ponderat una sinus.»

V. 67—70. *Qui, quia pulcher erit, poscet sine munere noctem, Quod det, amatorem flagitet ante suum*, adulescentulus pulcher, qui uno tempore amator puellæ et concubinus viri esse potest. Talis erat amator ille Cynthiæ, de quo Prop. IV. 8, 23—26: «Serica nam taceo vulsi carpenta nepotis Atque armillatos colla Molossa canes, Qui dabit immundæ venalia fata saginæ, Vincet ubi erasas barba pudenda genas.» — *retia tendit*, sensu erotico, ut Tib. I. 6, 5. (de Delia): «Iam mihi tenduntur casses» et Prop. II. 32, 20. (ad Cynthiam): «Tendis iners docto retia nota mihi.» — *legibus ure tuis*, duro imperio crucia.

V. 73—76. *Sæpe nega noctes*, nam secundum Prop. IV. 5, 30: «Maior dilata nocte recurret amor.» — *capitis modo finge dolorem*, eodem modo Delia Tibulli I. 6, 36: «simulat subito condoluisse caput.» — *quæ causas præbeat, Isis erit*, ex Prop. IV. 5, 34: «Fac simules puros Isidis esse dies.» Mulieres festis Isidis per certum tempus sine viro dormire debebant, unde crebri poetarum eroticorum in deam questus, ut Prop. II. 33, 1—2: «Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis: Cynthia iam noctes est operata decem.» — *Isis*, dea Aegyptia, a mulieribus Romanis iam inde a Sullanis temporibus præcipue culta. — *patiendi . . . usum*, assuetudinem. — *relentescat*, lentus fiat; vox apud Ovidium solum occurrit hoc loco.

V. 77—82. *Surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti*, ex Prop. IV. 5, 47—48: «Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, Surdus in obductam somniet usque seram». — *ferenti*, dona ferenti. — *Vanescit culpa culpa repensa tua*, i. e. culpa tua vanescit repensa culpa amatoris a te ficta. — *simultates*, inimicitias graviores. — *ira morata*, diuturna.

V. 83—86. *discant oculi lacrimare coacti*, etiam Prop. III. 25, 6. dicit: «Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles». — *ille*

vel ille, sc. oculus, alteruter oculorum. – *Nec, si quem falles, tu periurare timeto,* ex Tib. I. 4, 21 22: «Nec iurare time: Veneris periuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt.» – *Commodat in lusus numina surda Venus,* trita in poesi amatoria sententia; cf. Callim. Anth. Pal. V. 5, 5 6: *Ὤμοσεν, ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.*

V. 87. *ad partes . . . parentur,* doceantur, ut partes secundas tibi agant.

V. 91 94. *Et soror et mater, nutrix quoque carpat amantem,* unde querela Prop. II. 8, 13 14: «tam multos nimium temerarius annos, Improba, qui tulerim teque tuamque domum.» – *carpat amantem,* i. e. Hungarice *koppasztani,* Germaniæ *rupfen,* ex Prop. II. 16, 8. (de divite amatore Cynthiæ): «Et stolidum pleno vellere carpe pecus.» – *Natalem libo testificare tuum,* ut Ov. A. A. I. 429 430: «Quid, quasi natali cum poscit munera libo Et, quotiens opus est, nascitur illa sibi?» Poeta ante oculos habuit Prop. IV. 5, 35 36 (de ancillis amicæ): «Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle Natalem Mais Idibus esse tuum.» – *libo,* die natali viri Genio suo, feminæ Iunoni suæ libo solebant sacrificare. De libo cf. Serv. ad Verg. Aen. VII. 109: «liba sunt placentæ de farre, melle et oleo sacris aptæ.»

V. 95—98. *Nec securus amet nullo rivale, caveto: Non bene, si tollas prœlia, durat amor,* ex Prop. III. 8, 33 34: «Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.» – *Illa viri videat toto vestigia lecto,* ut Tib. I. 9, 57: «Semper sint exerna tuo vestigia lecto»; contrarium dicit Prop. II. 29, 35: «Apparent non ulla toro vestigia presso.» – *lascivis livida colla notis,* cf. adn. supra ad I. 7, 42.

V. 100. *Sacra roganda via est,* eme ipsa tibi res viles in Sacra via, ubi sunt tabernæ mercatorum, et mentire eas ab alio amatore tibi datas. Cf. Ov. A. A. II. 265 266: «Rure suburbano poteris tibi dicere missa, Illa vel in Sacra sint licet

empta via» et Priap. 21, 3—4: «Quæque tibi posui tamquam vernacula poma, De Sacra nulli dixeris esse via.»

V. 106. *Nec tulerint voces ventus et aura meas,* ut Ov. A. A. I. 388: «Nec mea dicta rapax per mare ventus agit.»

V. 108. *Ut mea defunctæ molliter ossa cubent,* ex Tib. II. 4, 50: «Terraque securæ sit super ossa levis.»

V. 109—112. *Vox erat in cursu,* i. e. lena nondum finivit sermonem. — *At nostræ vix se continuere manus,* ex Plaut. Most. I. 3, 292—293., ubi Philolaches puellam cum ancilla lenæ partes agente loquentem deprehendit: «nimis diu abstineo manum, Quid hic vos agitis?» — *Quin albam raramque comam lacrimosaque vino Lumina rugosas distraherentque genas,* ex Plaut. Most. I. 3, 203: «vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici.» — *lacrimosaque vino Lumina,* lena lippitudinem sibi accersebat vino immoderanter usa. Credebant enim antiqui hunc oculorum morbum ex vinolentia plerumque oriri; cf. Pers. 5, 77: «vappa lippus.»

V. 113—114. *Di tibi dent* etc., quæ Ovidius hoc loco lenæ optat, eadem fere re vera Acanthidi accidisse narrat Prop. IV. 5, 65—68: «Vidi ego rugoso tussim. concrescere collo Sputaque per dentes ire cruenta cavos, Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas: Horruit algenti pergula curta foco.» Ovidius præterea ante oculos habuit Plaut. Most. I. 3, 192—193: «Di deæque me omnes pessimis exemplis interficiant, Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu.» — *nullos Lares,* domum. — *perpetuamque sitim,* ut Prop. IV. 5, 2: «Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim.

IX.

Lib. I. eleg. 9.

Locus communis est in poesi erotica amoris cum militia comparatio, a Tibullo et Propertio sæpissime tractatus, quorum exempla secutus Ovidius huic comparationi sacravit totam elegiam ad Atticum quendam scriptam.

V. 1—4. *Militat omnis amans*, ut Ov. A. A. II. 233: «Militiæ species amor est.» — *habet sua castra Cupido*, Cupido est imperator, ut Tib. II. 6, 5 6: «Ure puer (sc. Amor), tua qui ferus otia liquit Atque iterum erronem sub tua signa voca» et II. 3, 33 34: «At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido Imperat, in nostra sint tua castra domo»; cf. Ov. Am. II. 12, 27—28: «Cupido Iussit militiæ signa movere suæ» et Rem. 3—4: «Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido, Tradita qui toties te duce signa tuli.» — *Attice*, quis fuerit, ignoramus. Atticum alloquitur poeta etiam Pont. II. 4. et 7. — *habilis*, apta. — *turpe senilis amor*, cf. de senibus turpi amore laborantibus Hor. Sat. II. 3, 274—275. et Tib. I. 2, 89—96.

V. 5—8. *animos*, i. e. audaciam; ex coniectura Rautenbergi. Codices habent *annos*, sed de ætate amantis supra vs. 3—4. agitur. — *Hos petit in socio bella puella viro*, nam secundum Tib. I. 2, 16: «fortes adiuvat ipsa Venus»; cf. Ov. A. A. I. 608: «audentem Forsque Venusque iuvant.» — *in socio . . . viro*, in amatore, — *bella puella viro*, eadem verba in fine pentametri Lygd. 4, 52. — *terra requiescit uterque*, cf. Ov. A. A. II. 238 (de amante): «Frigidus et nuda sæpe iacebis humo.» — *fores . . . ducis*, prætorium.

V. 9 14. *Militis officium longast via*, unde apud Tib. I. 1, 25 26: «Hic modo iam possim contentus vivere parvo Nec semper longæ deditus esse viæ»; cf. Ov. A. A. II. 235 236: «Nox et hiems longæque viæ sævique dolores Mollibus his castris et labor omnis inest.» — *mitte puellam*, sc. ut iter faceret. — *exempto fine sequetur amans*, eundem locum expressit Prop. II. 26, 29. sqq., quem auctorem Ovidius ante oculos habuit. — *exempto*, dempto. — *in adversos montes*, ut eos transcendat. — *exteret*, calcabit. — *Nec freta pressurus tumidos causabitur Euros*, ex Prop. II. 26, 29—30: «Seu mare per longum mea cogitet ire puella, Hanc sequar et fidos una aget aura duos» et ibid. 35—36: «Omnia perpetiar, sævus licet urgeat Eurus Velaque in incertum frigidus Auster agat.» — *pressurus*, sc. nave. — *verrendis . . . aquis*, sc. remo. — *sidera*

quæret, non exspectabit tempus navigationi aptum. Antiqui enim tempestates ortui aut occasui siderum certorum tribuebant. Cf. Gell. N. A. XIII. 9, 4. de sidere Hyadum: «Nam et cum oriuntur et cum occidunt, tempestates pluvias largosque imbres cient.»

V. 15—16. *Quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis Et denso mixtas perferet imbre nives,* ut Ov. A. A. II. 235—237: «Nox et hiems longæque viæ sævique dolores Mollibus his castris et labor omnis inest: Sæpe feres imbrem cælesti nube solutum.»

V. 20. *hic portas frangit,* sc. castrorum et urbium. — *ille fores,* cf. Tib. I. 1, 73—74: «frangere postes Non pudet» et I. 10, 53—54: «Femina perfractas conqueriturque fores.»

V. 23—24. *Sic fera Threicii ceciderunt agmina Rhesi,* Rhesum, regem Thraciæ, et comites eius somno sopitos Ulixes et Diomedes noctu occiderunt; cf. Hom. Il. X. 382. sqq. — *Et dominum capti deseruistis equi,* de quibus Verg. Aen. I. 472—473: «Ardentesque avertit (sc. Diomedes) equos in castra, priusquam Pabula gustassent Troiæ Xanthumque bibissent.»

V. 25. *Sæpe maritorum somnis utuntur amantes,* ut Cic. Cat. I. 10, 26. dicit de Catilina: «vigilare . . . insidiantem somno maritorum.»

V. 27—28. *Custodum transire manus,* ut Tib. II. 1, 75. dixit de puella amante: «custodes furtim transgressa iacentes.» — *semper amantis,* qui numquam amore vacat, ut infra III. 12, 1: «semper amanti.» Videtur poeta utrobique ante oculos habuisse Prop. II. 16, 47—48: «Sic ego nunc dominæ vitiis et *semper amantis* Fletibus æterna differor invidia.»

V. 31—36. *Ergo desidiam quicumque vocabat amorem, Desinat: ingenii est experientis amor,* ut Ov. A. A. II. 233—234: «Militiæ species amor est: discedite segnes! Non sunt hæc timidis castra tuenda viris.» Cf. Tib. I. 2, 23—24: «Nec docet (sc. Venus) hoc omnes, sed quos nec inertia tardat, Nec vetat obscura surgere nocte timor.» — *Ardet in abducta* etc., poeta, ut sententiam vs. 32. comprehensam probet, vss. 33—38. enu-

merat heroes fortissimos, qui amori servire non sunt dedignati. Vss. 33–36. ante oculos habuit Prop. II. 22, 29–32: «Quid? cum e complexu Briseidos iret Achilles, Num fugere minus Thessala tela Phryges? Quid? ferus Andromaches lecto cum surgeret Hector, Bella Myceneæ non timuere rates?» — *Ardet in . . . Briseide,* ex Prop. II. 4, 18: «gaudeat in puero.» Cf. adn. supra ad I. 7, 34: «sævus in hoste» et Ov. Her. 4, 99: «Arsit et Oenides in Mænalia Atalanta.» *abducta . . . Briseide,* sc. ab Agamemnone; ex Prop. II. 20, 1: «Quid fles abducta gravius Briseide?» Cf. Ov. Rem. 777: «Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles.» – *Dum licet,* i, e. dum Achilles Agamemnoni iratus pugnare recusat. – *Hector ab Andromaches complexibus ibat ad arma,* poeta respexit Hom. Il. VI. 407. sqq., ubi Hector in pugnam iturus Andromachæ valedicit.

V. 37–40. *Summa ducum,* dux summus; *summa,* neutr. plur. poet. ad exemplum Lucret. I. 86: «Ductores Danaum delecti, prima virorum.» (cf. Sophocl. Philoct. 435: *πρῶτα Ἀθηναίων*) et ad similitudinem talium locutionum: summa collis, tectorum, montium. – *visa Priameide,* Cassandra. – *Mænadis,* Mænades (i. e. furentes) appellantur vulgo feminæ bacchantes; hoc loco vatem significat, quæ sacro quodam furore correpta futura canit. Ex Prop. III. 13, 61–62: «neque enim Ilia quondam Verax Pergameis Mænas habenda malis.» – *effusis . . . comis,* vates furore correptæ comas diffundere solebant; cf. supra I. 7, 17. – *Mars . . . deprensus,* in adulterio Veneris; cf. Hom. Od. VIII. 266–369. – *fabrilia vincula sensit,* artificiose a Vulcano facta; cf. Hom. Od. VIII. 296–270: *Τὼ* (sc. Mars et Venus) *δ' ἐς δέμνια βάντε κατέδραθον, ἀμφὶ δὲ δεσμοὶ Τεχνήεντες ἔχυντο πολύφρονος Ἡφαίστοιο* et Ov. A. A. II. 577—578: «Mulciber obscuros lectum circaque superque Disponit laqueos: lumina fallit opus.» – *Notior in cælo fabula nulla fuit,* cf. Ov. A. A. II. 561–562: «Fabula narratur toto notissima cælo Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.»

V. 41—46. *discinctaque in otia,* quia otiosi tunicas discinctas

(sine cingulo) gerebant. — *lectus et umbra,* nam poetæ domi in lecto lucubratorio iacentes scribere solent neque, ut milites, solis ardorem perferre discunt; cf. Ov. A. A. III. 541—542: «Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi; Contempto colitur lectus et umbra foro» et Iuven. 7, 105: (de poetis): «genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.» — *cura puellæ,* gen. obiect., ut Tib. (Sulp.) IV. 11, 1: «Estne tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ?» — *æra merere,* stipendia merere, militare, ut infra I. 10, 20. — *nocturnaque bella,* cf. Tib. I. 1, 73—74: «Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes Non pudet et rixas inseruisse iuvat: Hic ego dux milesque bonus.»

X.

Lib. I. eleg. 10.

Poetæ erotici et Græci et Romani sæpissime queruntur de avaritia puellarum, quorum exempla secutus Ovidius scripsit invectivam in amicam avaram. Initio (vs. 1—8.) carminis et in fine (49—64.) Propertium imitatur, in media autem parte in suum usum convertit sententias nonnullas in poesi amatoria Græcorum tritas. Plura vide infra in adnotationibus.

Simile argumentum infra III. 8.

V. 1—6. *Qualis ab* etc., vss. 1—6. poeta ante oculos habuit Prop. I. 3, 1—8: «Qualis Thesea iacuit cedente carina Languida desertis Gnosia litoribus, Qualis et accubuit primo Cepheia somno Libera iam duris cotibus Andromede, Nec minus assiduis Edonis fessa choreis Qualis in herboso concidit Apidano, Talis visa mihi . . . Cynthia.» — *ab Eurota Phrygiis avecta carinis,* Helena a Paride Phrygio Troia avecta. — *Eurota,* fluvius Laconiæ. — *Coniugibus . . . duobus,* Agamemnoni et Paridi. — *Qualis erat Lede,* cf. adn. supra ad I. 3, 22. — *Qualis Amymone siccis erravit in Argis, Cum premeret summi*

verticis urna comas, poeta imitatur Prop. II. 26, 47—50: «Testis Amymone, latices cum ferret, in Argis Compressa et Lernæ pulsa tridente palus. Iam deus amplexu votum persolvit, at illi Aurea divinas urna profudit aquas.» Amymone, filia Danai, a patre aquam quæsitum missa compressa est a Neptuno, qui ei tridente fontem in regione Lernæ Argis vicina aperuit. Cf. Apollod. II. 14., Hygin. Fab. 169. et Lucian. Dial. mar. 6. — *siccis . . . in Argis*, in Argolide; cf. Lucian. Dial. mar. 6, 2: *πολυδίψιον δὲ τὸ Ἄργος, ὡς οἶσθα· ὥστε ἀνάγκη ἀεὶ ὑδροφορεῖν.* — *Argis*, ex coniectura P. Burmanni; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *premeret summi verticis urna comas*, in capite enim portabant feminæ Græcæ urnas.

V. 7—10. *Talis eras*, tam pulchra. — *aquilamque in te taurumque timebam Et quidquid magno de Iove fecit amor*, ne Iuppiter te raperet aut in aquilam mutatus, ut Ganymeden, aut in taurum, ut Europam. Poeta respexit Prop. I. 2, 3—4. de Cynthia: «Cur hæc in terris facies humana moratur? Iuppiter, ignoro pristina furta tua.» Cf. Meleagri epigr. Anth. Pal. XII. 65: *Εἰ Ζεὺς κεῖνος ἔτ' ἐστίν, ὁ καὶ Γανυμήδεος ἁρπὴν Ἁρπάξας, ἵν' ἔχῃ νέκταρος οἰνοχόον, κἠμοὶ τὸν καλὸν ἐστι . . . Μυῖσχον χρύπτειν, μή με λάθῃ παιδὶ βαλὼν πτέρυγας.* — *animique resanuit error*, cf. infra II. 9, 3: «animoque relanguit ardor.» — *resanuit*, vox fortasse ab Ovidio ficta, quæ præter hunc locum semel tantum occurrit Lactant. Div. Inst. V. 2, 6.

V. 11—14. *Cur sim mutatus* etc., ad vss. 11—12. alludit Ov. Rem. 321—322: «quam multum poscit amantem: Hæc odio venit maxima causa meo.» — *simplex*, ingenua, non callida. — *læsa figura tua est*, turpata, ex Lygd. 5, 15: «Et nondum cani nigros *lædere* capillos»; cf. Ov. A. A. III 207: «Hinc quoque præsidium læsæ petitote figuræ.»

V. 15—20. *nudus Amor*, sententiam vss. 15—18. comprehensam in erotica Græcorum poesi usitatam fuisse docemur Philostr. Epist. 7. (44): *ὅτι πένης εἰμί, ἀτιμότερός σοι δοκῶ. Καὶ μὴν καὶ αὐτὸς ὁ Ἔρως γυμνός ἐστι* et Theophylact. Epist. 42. (init.): *εἰ δῶρα ζητεῖς, οὐ ποθεῖς· ἀδωροδόκητοι γὰρ οἱ*

Ἔρωτες καὶ τοὺς ποθοῦντας τοιούτους διδάσκουσιν. - *sine sordibus annos*, quia iuventus non solet laborare avaritiæ vitio. - *ut sit apertus*, ergo non tectus, non callidus, sed ingenuus, simplex. - *prostare*, proprie dicitur de meretricibus in lupanari, unde *prostibulum*. *non habet ille sinum*, quia in sinu vestis portabant pecuniam antiqui; cf. adn. supra ad I. 8, 46. — *æra mercere*, stipendia, ut milites; cf. supra I. 9, 44.

V. 21—24. *Stat meretrix*, sc. prostat in lupanari; sententiam vss. 21—24. comprehensam etiam apud eroticos Græcos occurrisse docemur Philostr. Epist. 23. (45.) v. 2—9: *ἔστι δ' οὐχ οὕτως ἐμοὶ δεινὸν τὸ μὴ ἔχειν, ὡς σοὶ πρὸς αἰσχύνην τὸ μισθοῦ φιλεῖν· ἑταίρας μὲν γὰρ ἔργον προσίεσθαι τοὺς τὰς σαρίσσας ἔχοντας καὶ τὰς σπάθας ὡς ἑτοίμως διδόντας, γυναικὸς δ' ἐλευθέρας πρὸς τὸ βέλτιον βλέπειν καὶ τὸ χρηστὸν ἐν εὐνοίᾳ τίθεσθαι.*

V. 25—28. *Sumite in exemplum*, ad vss. 25—28. cf. Lucret. IV. 1192—1207., ubi exemplo pecudum docet etiam feminis grata esse Veneris gaudia.

V. 29—32. *Sola viro mulier spoliis exultat ademptis*, ex Prop. III. 13, 11—12: «Matrona incedit census induta nepotum Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.» — *Sola locat noctes, sola locanda venit*, duæ res distinguuntur: noctes in domo puellæ peragendæ et congressus in domo viri; *nox* enim nude positum apud poetas eroticos significat noctes apud puellam peragendas, ut Hor. Epod. 15, 13: «Nec feret adsiduas potiori te dare noctes» et Ov. Fast. IV. 109—110: «Primus amans carmen vigilatum nocte negata Dicitur ad clausas concinuisse fores»; *venire* autem absolute positum significat: venire in domum viri rei Venereæ peragendæ causa, ut Prop. II. 18, 30. (ad Cynthiam): «Mi formosa satis, si modo sæpe venis.» Eadem distinctio infra I. 11, 3—5: «Inque ministeriis furtivæ cognita *noctis* Utilis . . . Sæpe *venire* ad me dubitantem hortata Corinnam.» — *locat*, mercede conducta dat. — *pretium . . . facit*, constituit pretium, ut Plaut. Pers. IV. 4, 37.

V. 33. *Venus*, voluptas. — *ventura est*, futura est; *venire*

enim sæpe non multo plus significat, quam *esse*. Talis verbi *venire* usus sæpius occurrit apud Propertium, quem Ovidius etiam in hac re imitatur; cf. Prop. I. 10, 25: «Irritata venit, quando contemnitur illa», I. 8, 14: «Non ita sæva tamen venerit ira mea», II. 34, 81: «Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti.»

V. 36. *socio motu*, sc. in concubitu. — *ferunt*, accipiunt, i. e. sentiunt, fruuntur ea, ut infra II. 9, 44: «Sperando certe gaudia magna feram.»

V. 37—42. *Non bene*, non honeste. — *selecti iudicis*, ut Hor. Sat. I. 4, 123: «Unum ex iudicibus selectis obiciebat.» Intellegendi sunt iudices a prætore urbano ex senatoribus, equitibus et tribunis ærariis electi et in album iudicum relati. Cf. Cic. pro Cluent. 43, 121: «prætores urbani . . . iurati debent optimum quemque in lectos iudices referre.» — *Turpe reos empta miseros defendere lingua*, nam patroni lege Cincia a. a Chr. n. 205. lata vetabantur a clientibus dona accipere. — *tribunal*, sc. prætoris, iudicium. — *prostituisse*, proprie dicitur de meretrice, quæ corpus venale proponit.

V. 44. *male conducto*, inhoneste.

V. 45—46. *mercede soluta Non manet officio debitor ille tuo*, sententiam etiam in poesi Græca usitatam fuisse docemur Philostr. Epist. 7. (44.) v. 20—22: *ὑβρίζει τὸν πεισθέντα ὁ πλούσιος ὡς ἐωνημένος, ὁ δὲ πένης οἶδε χάριν ὡς ἐλεούμενος.*

V. 47. *Parcite*, nolite.

V. 49—52. *Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas, Ut premerent sacræ virginis arma caput*, cf. Prop. IV. 4, 91—92: «(Tatius Tarpeiam) ingestis comitum super obruit armis: Hæc, virgo officiis dos erat apta tuis.» Tarpeia, virgo Vestalis, cum Romulo regnante Sabini duce Tito Tatio Capitolium oppugnarent, proditionis pretium sibi pacta est id, quod hostes in sinistra manu gestarent, i. e. armillas aureas, quare Tatius, proditionem etiam in hoste puniendam ratus, scutis eam obrui iussit. Cf. Liv. I. 11. — *E quibus exierat, traiecit viscera ferro Filius*, ex Prop. II. 16, 29., ubi Cynthiam ab avaritia dehor-

tatur: «Aspice, quid donis Eriphyle invenit amaris.» Eriphyle a Polynice monili pretioso corrupta maritum Amphiaraum coegit, ut inter septem duces ad Thebas oppugnandas proficisceretur, cum sciret decreto fatorum neminem ex iis rediturum. Postea Alcmæon, filius Eriphyles, ut patrem ulcisceretur, matrem necavit.

V. 55 56. *Carpite de plenis pendentes vitibus uvas, Præbeat Alcinoi poma benignus ager,* poeta ante oculos habuit Lygd. 5, 19 20: «Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis Et modo nata mala vellere poma manu.» *Carpite de plenis . . . vitibus,* similiter dicit Prop. II. 16, 7 8. de Cynthia et de amatore eius divite: «Quare, si sapis, oblatas ne desere messes Et stolidum pleno vellere carpe pecus.» *Præbeat Alcinoi poma benignus ager,* i. e. præbeat poma benignus ager Alcinoi. Alcinous, rex Phæacum, habebat arbores frugiferas nobiles teste Hom. Od. VII. 112. sqq. *benignus ager,* fertilis, ex Tib. I. 3, 62. et Lygd. 3, 6: «terra benigna.»

V. 57 60. *Officium pauper numerat studiumque fidemque,* ex Tib. I. 5, 61 64: «Pauper erit præsto semper tibi: pauper adibit Primus et in tenero fixus erit latere: Pauper in angusto fides comes agmine turbæ Subicietque manus efficietque viam.» *numerat,* solvit pro pecunia. *Est quoque . . . Dos mea,* non solum officio et fide, ut pauper, sed etiam carminibus donare possum puellas. *carminibus meritas celebrare puellas,* ut Lygd. 1, 8: «Gaudeat, ut digna est, versibus illa tuis.» *Dos mea,* donum meum, quod puellis offerre possum.

V. 61 64. *Scindentur vestes, gemmæ frangentur et aurum: Carmina quam tribuent fama perennis erit,* ex Prop. III. 2, 15—24: «Fortunata, meo si qua est celebrata libello! Carmina erunt formæ tot monumenta tuæ. Nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti, Nec Iovis Elei cælum imitata domus, Nec Mausolei dives fortuna sepulcri Mortis ab extrema condicione vacant. Aut illis flamma aut imber subducet honores, Annorum aut ictu pondere victa ruent: At non ingenio quæsitum nomen ab ævo Excidet, ingenio stat sine morte decus.» —

vestes, gemmae . . . aurum, dona divitis amatoris. *Carmina quam tribuent, fama perennis erit,* ut Tib. I. 4, 65—66: «Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus, Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.» Cf. etiam Philostr. Epist. 29. (53.) v. 20—23: *τούτων δ' εἰ πάντων σὺ τὸ φάρμακον, ἔργου ἐφημέρου ποιήματα ἀθάνατα καὶ βραχείας σώματος ἡδονῆς μνήμην ἀντιλαβοῦσα ἀγήρω.* — *Nec dare, sed pretium posci dedignor et odi,* cf. Prop. II. 24, 15—16: «A pereant, si me ista movent dispendia: sed me Fallacis dominæ iam pudet esse iocum.»

XI.

Lib. I. eleg. 11.

Elegiæ 11. et 12. artissime cohærent. In 11. tabellas mittit poeta ad Corinnam orans, ut admittatur, in 12. redeunt tabellæ cum tristi responso: hodie, quod roget, fieri non posse. Scriptor ante oculos habuit Prop. III. 23., ubi poeta tabellas, fidas in amore ministras, amissas esse queritur.

V. 1—6. *Colligere incertos et in ordine ponere crines Docta,* erat igitur Nape ancilla ornatrix, i. e. ornatrix capillorum. — *incertos,* nondum digestos, effusos. — *dandis ingeniosa notis,* ad ministeria furtivæ noctis referendum: quæ ingeniose dat amatori exspectanti notas tutum esse ad amicam introitum. — *dubitantem,* timentem. — *laboranti,* in rebus amori adversis.

V. 7—10. *peraratas,* stilo peraratas, i. e. inscriptas. — *tabellas,* agitur de tabulis ceratis, quibus in epistulis scribendis libentissime utebantur antiqui; potuit enim is, qui litteras accepit, deleto in cera scripto statim rescribere et tabellas remittere. Tales tabellæ ultro citroque mittebantur ab amantibus, unde frequens earum in poesi amatoria mentio. Cf. Tib. II. 6, 45—46. et (Sulp.) IV. 7, 7—8; Prop. III. 23. — *obstantes,* propositum impedientes. — *Nec silicum venæ nec durum in*

pectore ferrum, ex Tib. I. 1, 63–64: «non tua sunt duro præcordia ferro Vincta nec in tenero stat tibi corde silex». — *silicum venæ*, ut dicitur de metallis: æris, argenti, auri venæ in terra. Cf. Verg. Aen. VI. 6–7: «semina flammæ Abstrusa in venis silicis»; Ov. Trist. III. 11, 4: «Et dicam silices pectus habere tuum» et ibid. I. 8, 41: «Et tua sunt silicis circum præcordia venæ.» — *ordine*, sc. servili ordine.

V. 12. *In me militiæ signa tuere tuæ*, pro me; ad exemplum Prop. II. 20, 11: «In te ego et æratas rumpam, mea vita, catenas.» — *militiæ . . . tuæ*, de amoris militia (cf. supra I. 9.) cogitandum. — *signa tuere*, defende signa Cupidinis; cf. infra II. 9, 3. (ad Cupidinem): «qui miles nunquam tua signa reliqui.»

V. 15. *Dum loquor, hora fugit*, ex Hor. Carm. I. 11, 7—8: «dum loquimur, fugerit invida Aetas». — *vacuæ bene*, omni impedimento liberæ, i. e. remotis arbitris, præcipue viro et custode puellæ. — *redde*, trade.

V. 19—22. *rescribat*, in iisdem tabellis; cf. adn. supra ad vs. 7: «tabellas.» — *Comprimat ordinibus versus*, i. e. comprimat ordines versuum ita, ut minima intervalla relinquat inter versus singulos. — *littera rasa*, stilo incisa.

V. 23–24. *graphio*, scriptorium sive stilus, quo litteræ ceræ incidebantur. — *veni*, apud Prop. III. 23, 15. puella hæc scribit in tabula cerata: «venies hodie, cessabimus una.»

V. 25–28. *lauro*, signo triumphi. — *Veneris media ponere in æde*, ut donum votivum; cf. Prop. II. 14, 25–28: «Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna Taleque sub nostro nomine carmen erit: Has pono ante tuas tibi, diva, Propertius ædes Exuvias, tota nocte receptus amans.» — *Subscribam*, donis votivis nomina sua et causam donandi subscribere solebant donantes. — *at nuper vile fuistis acer*, i. e. nunc donum votivum memorabile estis, quamquam nuper vile lignum fuistis. — *acer*, tabellæ acernæ.

XII.

Lib. I. eleg. 12.

V. 2. *littera,* litteræ, epistula. — *posse negat,* i. e. fieri posse, ut poeta admittatur.

V. 4—6. *Ad limen digitos restitit icta Nape,* pedis offensionem inter mala omina commemorat etiam Cic. De div. II. 84; cf. Tib. I. 3, 19—20: «O quotiens ingressus iter mihi trisita dixi Offensum in porta signa dedisse pedem» et Ov. Met. X. 452: «Ter pedis offensi signo est revocata.» — *sobria,* prudenter.

V. 7—10. *difficiles,* quæ votis poetæ obstant; cf. supra adn. ad I. 6, 2: «Difficilem . . . forem.» — *funebria ligna,* cf. supra I. 11, 28: «vile fuistis acer» et Prop. III. 23, 21—22. (de tabellis amissis): «Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro: Quis pro divitiis *ligna* retenta velit.» — *notis,* litteris. — *de longæ flore cicutæ,* i. e. ex flore herbæ venenatæ; *longæ,* quia longum habet culmum. — *collectam flore,* cf. Plin. N. H. XI. 14. (de apibus): «Primum favos construunt, ceram fingunt, hoc est domos cellasque faciunt, dein subolem, postea mella, *ceram ex floribus*» et ibid. 18: «Ceras ex omnium arborum satorumque floribus confingunt.» — *Melle sub infami Corsica misit apis,* mel Corsicanum apud veteres infame erat amaritudine; cf. Verg. Ecl. 9, 30. — *Melle sub,* quia cera est mellis fundamentum. — *Corsica,* hoc loco adiectivi vice fungitur. — *misit,* sc. Romam.

V. 11—12. *At tamquam minio penitus medicata rubebas: Ille color vere sanguinolentus erat,* iocose dictum: rubebas pariter ac si minio picta esses, sed re vera sanguine, non minio, eras infecta. — *minio penitus medicata,* cera enim tabellarum plerumque minio erat infecta. — *medicata,* infecta, picta, ut infra I. 14, 1.

V. 15—20. *Illum etiam, qui vos ex arbore vertit in usum, Convincam puras non habuisse manus,* ut Hor. Carm. II. 13,

1 3: «Ille et nefasto te posuit die, Quicumque primum, et sacrilega manu Produxit, arbos.» — *Præbuit illa arbor misero suspendia collo,* illis scilicet, qui se ipsi suspendebant. — *diras . . . cruces,* in servile supplicium. — *raucis bubonibus,* quorum cantus iniucundus funesta portendit; cf. Plin. N. H. X. 16: «bubo funebris et maxume abominatus publicis præcipue auspiciis deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam et inaccessa, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu; itaque in urbibus aut omnino in luce visus dirum ostentum est» et Ov. Ib. 223–224: «Sedit in adverso nocturnus culmine bubo Funereoque graves edidit ore sonos.» — *Vulturis,* avis rapacis et obscenæ. — *strigis,* cf. de strigibus Ov. Fast. VI. 135–140: «Nocte volant puerosque petunt nutricis egentes Et vitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicuntur lactentia viscera rostris Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomen, sed nominis huius Causa, quod horrendum stridere nocte solent.»

V. 23–26. *vadimonia garrula,* quibus litigans, datis vadibus, se obligat certo die in iudicio adesse. — *garrula,* ad verbosum genus dicendi in formulis legitimis usitatum alludit; cf. infra I. 15, 5: «verbosas leges.» — *duro cognitor ore,* cognitor est, quem litigans «certis verbis in litem coram adversario» (Gai. IV. 83.) sibi substituit, ut litem pro se curaret. — *duro . . . ore,* rigida voce. — *legat,* sc. cognitor nomine litigantis legit vadimonium coram prætore. — *Inter ephemeridas melius tabulasque iacerent,* intellege tabulas accepti et expensi, *ephemerides* vocatas, quia accepta et expensa cotidie notabantur; ex Prop. III. 23, 19–20. (de tabulis suis amissis): «Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus Et ponit duras inter ephemeridas.» — *ephemeridas . . . tabulasque, ἓν διὰ δυοῖν,* i. e. ephemeridum tabulas. — *absumptas . . . opes,* sc. si plura erant expensa, quam accepta. — *fleret,* flens notaret.

V. 27. *duplices pro nomine,* diptycha enim vocabantur tabulæ duplices, i. e. pugillares ex duobus tabellis constantes. *Duplex* autem significat hoc loco callidum, bilinguem, fallacem;

poeta ante occulos habuit Hor. Carm. I. 6, 7: «cursus duplicis per mare Ulixei»; cf. tragœd. Rhesi vs. 395: *οὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ.*

V. 30. *immundo cera sit alba situ*, sordibus tamquem canescat cera, i. e. amittat colorem rubrum supra vs. 11. commemoratum.

XIII.

Lib. I. eleg. 13.

In Auroram amantes divellentem. Auctor est Meleager (Anth. Pal. V. 172.):

Ὄρθρε, τί μοι, δυσέραστε, ταχὺς περὶ κοῖτον ἐπέστης,
Ἄρτι φίλας Δημοῦς χρωτὶ χλιαινομένῳ;
Εἴθε πάλιν στρέψας ταχινὸν δρόμον Ἕσπερος εἴης,
Ὦ γλυκὺ φῶς βάλλων εἰς ἐμὲ πικρότατον.
Ἤδη γὰρ καὶ πρόσθεν ἐπ' Ἠλκμήνην Διὸς ἦλθες
Ἀντίος· οὐκ ἀδαὴς ἐσσι παλινδρομίης.

Præterea ante oculos habuit poeta Antipatri Thessalonicensis epigramma (Anth. Pal. V. 2.):

Ὄρθρος ἔβη, Χρύσιλλα, πάλαι δ' ἠῷος ἀλέκτωρ
Κηρύσσων φθονερὴν Ἠριγένειαν ἄγει.
Ὀρνίθων ἔρροις φθονερώτατος, ὅς με διώκεις
Οἴκοθεν εἰς πολλοὺς ἠϊθέων ὀάρους.
Γηράσκεις, Τιθωνέ· τί γὰρ σὴν εὖνιν Ἑῶ
Οὕτως ὀρθριδίην ἤλασας ἐκ λεχέων;

Ex his epigrammatibus fecit Ovidius invectivam in Auroram flosculis quibusdam ab Horatio et Tibullo sumptis. Comparari potest etiam Macedonici in Luciferum epigramma Anth. Pal. V. 223.

V. 1—4. *super oceanum*, Sol et Aurora surgunt ex oceano. — *a seniore marito*, a Tithono, Laomedontis filio, qui a diis immortalitatem quidem impetravit, sed iuventutem æternam impetrare non potuit. Cf. Verg. Aen. IV. 585: «Tithoni croceum linguens Aurora cubile.» — *Flava*, cf. infra II. 4, 43: «placuit

croceis Aurora capillis.» — *pruinoso ... axe,* quia mane cadunt ros et pruina; cf. supra I. 6, 65: «Iamque pruinosos molitur Lucifer axes.» De curru Auroræ cf. adn. ad I. 8, 4. — *Memnonis umbris,* Memnon, rex Aethiopum (cf. supra I. 8, 3—4.), filius Auroræ, bello Troiano occisus est ab Achille. — *Annua sollemni cæde parentet avis,* ex cineribus Memnonis in rogo exstiterunt aves Memnonides dictæ, quæ pugnantes inter se sollemni cæde inferias annuas ferebant ei die mortis; cf. Ov. Met. XIII. (ubi tota fabula narratur) 618—619: «Memnonides dictæ, cum sol duodena peregit Signa, parentali morituræ voce rebellant.» — *cæde parentet,* parentare: significat inferias Manibus ferre; cæde autem parentare fuit mos antiquissimus, ut elucet ex Hom. Il. XXIII. 108—225., ubi Achilles Manibus Patrocli duodecim iuvenes Troianos mactat. Hinc etiam ludi gladiatorii apud Romanos in funeribus nobilium. — *Annua ... parentet avis,* i. e. quotannis. ut Tib. II. 1, 48: «Deponit flavas annua terra comas.»

V. 5—10. *Nunc iuvat in teneris dominæ iacuisse lacertis,* ut Tib. I. 1, 45—46: «Quam iuvat ... dominam tenero continuisse sinu.» — *lateri nunc bene iuncta meo est,* ex Meleagri epigrammate (Anth. Pal. V. 172, 2.): Ἄρτι φίλας Δημοῦς χρωτὶ χλιαινομένῳ. — *somni pingues,* quieti; pingues enim homines inertes et otiosi esse solent. Cf. infra II. 19, 25: «Pinguis amor» eodem sensu. — *liquidum tenui gutture cantat avis,* quia aves tempore diluculi expergiscentes in frondibus canere solent; ex Tib. I. 3, 60: «Dulce sonant tenui gutture carmen aves.» Cf. Ov. Fast. IV. 165—166: «Nox ubi transierit cælumque rubescere primo Coeperit et tactæ rore queruntur aves.» — *liquidum,* liquida voce, i. e. pura, clara et iucunda. — *tenui gutture,* angusto, parvo. — *Roscida ... lora,* cf. adn. supra ad vs. 2: «pruinoso axe.» — *purpurea ... manu,* rosea; est enim Aurora secundum Homerum ῥοδοδάκτυλος. — *supprime,* retine, retrahe.

V. 11—16. *melius sua sidera servat Navita,* quia antiqui secundum sidera cursum navium dirigebant. — *servat,* obser-

vat. — *nescius*, sc. quo cursum vertat. *Te surgit quamvis lassus veniente viator*, cf. Ov. Fast. IV. 167—168. (de aurora): «Semiustamque facem vigilata nocte viator Ponet.» — *Prima bidente vides oneratos arva colentes*, cf. Ov. Fast. IV. 168. (de aurora): «ad solitum rusticus ibit opus». — *Prima vocas tardos sub iuga panda boves*, sc. ut arent; ex Tib. I. 10, 45—46: «Pax candida primum Duxit araturos sub iuga panda boves.» Bidens et aratrum una commemorantur etiam Tib. I, 10, 49. et I. 1, 29—30. et II. 3, 5—7. Sunt certe instrumenta primaria agricolarum: bidentis in vineis et hortis, aratri in agris usus.

V. 17—20. *pueros somno fraudas*, pueri enim summo mane in scholas ibant; cf. Iuv. VII. 225. et Martial. XII. 57, 4. et XIV. 223. — *magistris*, ludimagistris. — *Ut subeant teneræ verbera sæva manus*, puerorum manus ferula cædebantur, quod genus poenæ usque ad nostram ætatem in ludis permansit; cf. Ov. A. A. I. 15—16: «poscente magistro Verberibus iussas præbuit ille manus» et Iuven. 1, 15: «Et nos ergo manum ferulæ subduximus.» — *eadem sponsum multos ante Atria mittis, Unius ut verbi grandia damna ferant*, ex Hor. Sat. II. 6, 23. et 27. (ad Ianum Matutinum): «Romæ sponsorem me rapis... Postmodo, quod mi obsit, clare certumque locuto.» Spondere pro familiaribus erat apud Romanos amicitiæ officium, quod multos damno maximo affecit. Tales autem sponsiones apud prætorem fiebant horis matutinis. — *sponsum... mittis*, supinum, ut Hor. Ep. II 2, 17: «hic sponsum vocat.» — *multos*, ex coniectura Withofii; cf. infra adn. crit. ad. h. l. — *ante Atria*, ad Atrium Vestæ tribunali prætoris proximum; poeta ante oculos habuit Hor. Sat. I. 9, 35—37: «Ventum erat *ad Vestæ*, quarta iam parte diei Præterita et casu tunc respondere vadato Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.» Eodem modo dicebatur *ad Puteal adesse* pro: in iudicio adesse, quia ad puteal Libonis erat tribunal prætoris urbani; cf. Hor. Sat. II. 6, 35: «Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.» — *Atria*, plur. poet., ut Ov. Fast. VI. 263: «Atria Vestæ.» — *Unius ut*

verbi, i. e. verbi *spondeo*; erat enim sponsionis formula: «Ego idem dare spondeo.»

V. 21—24. *Nec tu consulto nec tu iucunda diserto*, ex Hor. Sat. I. 1, 9—10: «Agricolam laudat iuris legumque peritus, Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.» — *consulto*, iurisconsulto, qui mane domi clientibus respondet, i. e. consilia iis dat de rebus ad iura pertinentihus. Cf. Cic. Muren. 9, 22: «vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas.» — *diserto*, causidico, qui mane causas agit in foro. — *Tu, cum feminei possint cessare labores, Lanificam revocas ad sua pensa manum*, ex Verg. Aen. VIII. 407—410: «Inde ubi prima quies medio iam noctis abactæ Curriculo expulerat somnum, cum femina primum, Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes.» — *Lanificam revocas ad sua pensa manum*, ex Tib. II. 1, 10: «Lanificam pensis imposuisse manum.»

V. 31–32. *Quid, si Cephalio* etc., interpolatio manifesta.

V. 33–34. *filius ater*, Memnon; cf. supra adn. ad I. 8, 3—4: «nigri Memnonis.» — *Materni . . . pectoris ille color*, animi; animus enim ater est improbus, sicut candidus ponitur pro bono et probo.

V. 35. *Tithono*, coniugi Auroræ; cf. adn. supra ad vs. 1: «a seniore marito.»

V. 37–42. *Illum dum refugis, longo quia grandior ævo, Surgis ad invisas a sene mane rotas*, poeta ante oculos habuit Antipatri Thessalonicensis epigramma (Anth. Pal. V. 3, 5—6.): *Γηράσκεις, Τιθωνέ· τί γὰρ σὴν εὖνετιν Ἠῶ Οὕτως ὀρθριδίην ἤλασας ἐξ λεχέων.* — *grandior*, senior. — *Cephalum complexa teneres*, Cephalum, filium Deionis, regis Phocidis, maritum Procridis, Aurora amore incensa rapuit, sed cum ille uxoris oblivisci non posset, a dea remissus est ad Procrin; fabula narratur Ov. Met. VII. 700. sqq. Cf. Ov. Her. 4, 95–96. de Cephalo: «Nec tamen Auroræ male se præbebat amandum: Ibat ad hunc sapiens a sene diva viro.» — *Noctis equi*, etiam Nox habet currum; cf. Tib. II. 1, 87: «Nox iungit equos.» Bigas

ei tribuit Verg. Aen. IV. 721., quadrigas Lygd. 4, 17. *ab annis, ab* cum ablativo pro ablativo simplici ad exemplum Prop. II. 27, 11: «quando periturus et a qua Morte», III. 11, 24: «Ne possint tacto stringere ab axe latus», IV. 3, 39: «quæ tellus putris ab æstu» etc. *me ... conciliante,* sc. matrimonium conciliante.

V. 43—46. *quot somnos iuveni donarit amato Luna,* cf. Cic. Tusc. I. 38, 92: «a Luna consopitus putatur Endymion, ut eum dormientem oscularetur ... in Latmo obdormivit, qui est mons Cariæ.» *forma secunda,* inferior. — *Ipse deum genitor ... Commisit noctes in sua vota duas,* Iuppiter, cum ad Alcmenen, matrem Herculis futuram, descendisset; ex Meleagri epigrammate (Anth. Pal. V. 172, 5—6. de Aurora): *Ἤδη γάρ καὶ πρόσθεν ἐπ' Ἀλκμήνην Διὸς ἦλθες Ἀντίος· οὐκ ἀδαής ἐσσι παλινδρομίης.* — *Commisit,* coniunxit. — *in sua vota,* ut votis potiretur.

V. 47. *rubebat,* tamquam pudore, peccatorum conscia.

XIV.

Lib. I. eleg. 14.

Propertius II. 18, 23. sqq. reprehendit Cynthiam, quod capillos tinxerit. Ovidius exemplum magistri secutus amicam suam idem fecisse et ob id ipsum capillos perdidisse fingit.

V. 1—4. *medicare,* inficere, pingere, ut supra I. 12, 11: «minio penitus medicata.» — *Tingere quam possis,* pingere, colorare. Mulieres Romanæ capillos colorare solebant, ut flavi vel rutili fierent; unde Prop. II, 18, 26: «Turpis Romano Belgicus ore color» et Ov. A. A. III. 163: «Femina canitiem Germanis inficit herbis» i. e. talibus herbis, quæ flavo colore Germanis proprio capillos tingunt. — *At si passa fores, quid erat spatiosius illis,* hoc loco *erat* ponitur pro *esset,* ut supra I. 6, 34: «Solus *eram,* si non sævus adesset Amor.» — *qua patet usque, latus,* quatenus extenditur. Longum latus pulchrum videbatur antiquis; cf. adn. supra ad I. 5, 22.

V. 5—8. *Quid, quod,* gradationem significat: immo. — *ornare timeres,* ne inter pectendum scinderentur. — *Vela colorati qualia Seres habent,* ex Verg. Ge. II. 121: «Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.» Cogitandum de vestibus sericis, quas Romani a Seribus, incolis Asiæ orientalis, accipiebant. — *colorati... Seres,* nigrum colorem tribuit poeta Seribus, ut Aethiopibus et Indis; ante oculos habuit Verg. Ge. IV. 292. (de Nilo): «Usque coloratis amnis devexus ab Indis.» — *Vel pede quod gracili deducit aranea filum, Cum leve deserta sub trabe nectit opus,* ex Catull. 67, 49—50: «Nec tenuem texens sublimis aranea telam In deserto Alli nomine opus faciat.»

V. 11—12. *madidis in vallibus Idæ,* Phrygiæ Idæ, quam Homerus *πολυπίδακα* (Il. VIII. 47. et alibi) appellat. — *Ardua,* alta. — *cedrus,* arbor, quam viri docti nunc *Iuniperum oxycedrum L.* vocant. Lignum eius erat durabile et suaveolens, ex quo res diversissimas conficiebant antiqui.

V. 13—16. *dociles,* i. e. facile obtemperabant ornatrici. — *nullius causa doloris,* sc. inter ornandum. — *acus,* instrumentum, quo crines comebantur; cf. Martial. II. 66, 1—2. — *vallum pectinis,* quia pecten dentatus formam habet valli palis muniti. — *Ornatrix,* ancilla capillorum ornatrix. — *tuto corpore,* sæviebant enim dominæ in ancillas, quæ inter pectendum inhabiles erant; cf. infra vs. 18.

V. 17—22. *Ante meos sæpest oculos ornata,* sc. amica. — *nec umquam Bracchia derepta saucia fecit acu,* cf. Ov. A. A. III. 239—240: «Tuta sit ornatrix! odi, quæ sauciat ora Unguibus et rapta bracchia figit acu.» — *Bracchia,* sc. ornatricis. — *derepta... acu,* i. e. acu crinali capite (capillis) derepta. — *digestis... capillis,* comptis; cf. supra I. 7, 11: «Ergo ego digestos potui laniare capillos?» — *Purpureo... toro,* vestis enim stragula lecti erat purpurea; cf. Tib. I. 2, 75: «Tyrio recubare toro.» — *ut Threcia Bacche, Cum temere in viridi gramine lassa iacet,* ex Prop. I. 3, 5—6: «assiduis Edonis fessa choreis Qualis in herboso concidit Apidano.» — *Threcia Bacche,* in Thracia enim Bacchus præcipue colebatur. — *Bacche,*

femina bacchans; bacchantes autem effusis comis orgia celebrabant, unde comporatio. — *temere... iacet,* neglegenter; ex Hor. Carm. II. 11, 14: «iacentes sic temere.» *lassa,* orgiis nocturnis Bacchi lassata.

V. 25—26. *Quam se præbuerunt ferro patienter et igni,* i. e. calamistro in igne calefacto, ut crisparentur. — *torto... orbe,* capillis ope calamistri in orbem tortis; cf. Martial. II. 66, 1: «Unus de toto peccaverat orbe comarum Anulus, incerta non bene fixus acu.» — *flexilis... sinus,* cogitandum de capillo sinuato (crispato), i. e. de cicinno, qui fit ope calamistri. Cf. supra vs. 13: «centum flexibus apti.» — *flexilis,* lectio editionum veterum; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 30. *Circuit admotas ipse capillus acus,* non debet calamistro uri, nam capillus sponte circumvolvitur acui, qua comitur, i. e. crispus est natura. — *Circuit,* coniecit Martinon; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 31—34. *quas vellet Apollo, Quas vellet capiti Bacchus inesse suo,* ex Tib. I. 4, 37—38: «Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas: Nam decet intonsus crinis utrumque deum.» — *nuda Dione Pingitur umenti sustinuisse manu,* intellege Venerem Anadyomenen, picturam Apellis, de qua Plin. N. H. XXXV. 91: «Venerem exeuntem e mari divus Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur.» Cf. Ov. A. A. III. 223—224: «nobile signum, Nuda Venus madidas exprimit imbre comas» et Trist. II. 527—528: «Sic madidos siccat digitis Venus uda capillos Et modo maternis tecta videtur aquis» et Pont. IV. 1, 29—30: «Ut Venus artificis labor est et gloria Coi (i. e. Apellis), Aequoreo madidas quæ premit imbre comas.» — *Dione,* hoc loco Venus; apud Homerum et alios scriptores mater Veneris.

V. 35—36. *male dispositos,* infeliciter comptos. — *inepta,* eodem modo dicit Prop. II. 18, 27—28. Cynthiæ: «Illi sub terras fiant mala multa puellæ, Quæ mentita suas vertit *inepta* comas.»

V. 39—44. *cantatæ... herbæ,* ut Tib. I. 8, 23: «Quid que-

ror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?» Agitur de herbis, e quibus venenum fecerunt sagæ carmina magica cantantes; cf. Verg. Ge. III. 282—283: «Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ Miscuerantque herbas et non innoxia verba.» — *pœlicis*, rivalis. — *anus*, saga. — *Hæmonia... aqua*, magico ritu devota; eodem modo Ov. A. A. II. 99 «Hæmoniæ artes» significant artes magicas. Hæmonia enim est nomen vetus Thessaliæ, quæ erat magorum, sagarum et venefĭcarum patria; cf. Plin. N. H. XXX. 6—7. — *procul omen abesto*, quia ipsa morbi mentio malum omen continet, quod est averruncandum. — *invida lingua*, lingua feminæ cuiusdam invidæ mala tibi imprecantis. — *dispendia*, damna. — *mixta venena*, pigmenta capillis nocentia.

V. 45—50. *Nunc tibi captivos mittet Germania crines*, capillos captivarum Germanarum capiti imponebant mulieres Romanæ, ut flavæ esse viderentur. — *Culta triumphatæ munere gentis eris*, ut Martial. XIV. 26: «Captivis poteris cultior esse comis.» — *Culta*, ornata. — *triumphatæ.... gentis*, devictæ, ut Hor. Carm. III. 3, 43; Tac. Germ. 37; Plin. V. 36. Poeta ad Sygambros devictos alludere videtur, de quibus vide vs. 47. — *rubebis*, pudore. — *empta nunc ego merce probor*, cf. Ov. A. A. III. 16: «Femina procedit densissima crinibus emptis.» — *Sygambram*, Sygambri erant populus Germaniæ, qui a. a. Chr. n. 16. Galliam invaserunt et M. Lollium devicerunt, sed anno eodem, postquam Augustus ipse ad bellum profectus est, secundum Dion. LIV. 20, 4: ἔς τε τὴν ἑαυτῶν ἀνεχώρησαν καὶ σπονδὰς ἐποιήσαντο ὁμήρους δόντες. — *Fama*, gloria.

V. 51—52. *male continet*, vix. — *ingenuas picta rubore genas*, ex Lygd. 4, 32: «Inficitur teneras ore rubente genas.»

V. 55. *Collige cum vultu mentem*, i. e. desine flere et mente quieta esto.

XV.

Lib. I. eleg. 15.

Epilogus libri primi: de immortalitate poeseos.

V. 1—6. *Livor edax*, invidia mordax; cf. Ov. Rem. 389: «Rumpere, Livor edax» et Trist. IV. 10, 123—124: «Nec, qui detrectat præsentia, Livor iniquo Ullum de nostris dente momordit opus» et Martial. XI. 33, 3: «I nunc, livor edax.» — *Ingeniique vocas carmen inertis opus*, cf. Ov. A. A. III. 411—412: «Nunc hederæ sine honore iacent operataque doctis Cura vigil Musis nomen inertis habet.» — *inertis*, ad graviora officia non apti. — *more patrum*, maiorum, apud quos præter militiam et iurisprudentiam nulla ars erat in pretio. — *Præmia militiæ*, dona militaria et præda. *pulverulenta*, miles enim debet esse, ut Hor. Carm. IV. 8, 4. dicit: «patiens pulveris atque solis.» — *verbosas leges ediscere*, ut qui iurisconsulti fieri volunt; cf. adn. supra ad I. 12, 23: «vadimonia garrula.» — *Ingrato vocem prostituisse foro*, ut causidici; etiam Prop. IV. 1, 134. dicit de se: «(Apollo) vetat insano verba tonare foro.» — *Ingrato ... foro*, quia favor populi in foro partus non est constans. — *prostituisse*, publicam facere, publice monstrare; cf. infra III, 14, 11: «Tu tua prostitues famæ peccata sinistræ?»

V. 8. *in toto semper ut orbe canar*, ut supra I. 3, 25: «Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem»; cf. Ov. Her. 15, 23: «Iam canitur toto nomen in orbe meum.»

V. 9—14. *Mæonides*, Homerus Smyrnæ in Mæonia (Lydia) natus. — *Tenedos*, insula parva ad litora Troiana sita. — *Ide*, mons Phrygiæ. — *Simois*, fluvius in Troade. — *Ascræus*, Hesiodus Ascræ in Bœotia natus, auctor Operum et Dierum, carminis didactici de agricultura. — *Ceres*, frumentum. — *Battiades*, Callimachus Cyrenensis, poeseos Alexandrinæ princeps, quem etiam Catullus (c. 65, 16.) Battiaden vocat. Cf. Strab. 17, p. 837: *λέγεται δὲ ἡ Κυρήνη κτίσμα Βάττου· πρόγονον δὲ τοῦτον ἑαυτοῦ φάσκει Καλλίμαχος*. — *arte*, doctrina et elocutionis elegantia.

V. 15 20. *Sophocleo ... cothurno*, tragœdiæ; erat enim cothurnus calceus tragœdorum. Ex Verg. Ecl. 8, 10: «Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.» - *Aratus*, anno fere 270. a. Chr. natus, scriptor *Φαινομένων καὶ Διοσημείων*, carminis didactici de astronomia. - *fallax servus, durus pater, improba lena ... meretrix blanda*, personæ comœdiæ novæ Atticorum; eodem modo alludit ad Menandrum Ov. A. A. III. 322: «Cuique pater vafri luditur arte Getæ.» Ante oculos habuit Horatium, qui Fundanium, fabularum palliatarum scriptorem, ita inducit Sat. I. 10, 40—42: «Arguta meretrice potes Davoque Chremeta Eludente senem comis garrire libellos Unus vivorum, Fundani.» - *durus pater*, severus in filios; ex Ter. Heaut. III. 1, 30: «satis, iam satis pater durus fui.» — *Menandros*, novæ Atticorum comœdiæ princeps, anno ferre 342. a. Chr. natus. - *Ennius arte carens*, Annalium scriptor, de quo Ov. Trist. II. 424: «Ennius ingenio maximus, arte rudis» et ibid. 259: «Sumpserit Annales, nihil est hirsutius illis.» — *animosique Accius oris*, tragœdiarum scriptor (170—94. a. Chr. n.), qui apud Hor. Ep. II. 1, 56: «altus» appellatur propter genus dicendi patheticum ei proprium; cf. Quint. X. 1, 97., qui eum cum Pacuvio ita comparat: «Virium Accio plus tribuitur, Pacuvium videri doctiorem.» - *Casurum*, periturum.

V. 21—26. *Varronem*, P. Terentius Varro Atacinus (a. 82. natus), qui Argonautica scripsit ad exemplum Apollonii Rhodii. - *primamque ratem*, Argo, navis Argonautarum, de qua infra II. 11, 1—2: «Prima malas docuit mirantibus æquoris undis Peliaco pinus vertice cæsa vias.» - *Aureaque ... terga*, vellus, lana. - *Aesonio ... duci*, Iasoni, filio Aesonis. — *sublimis ... Lucreti*, propter sublimitatem rerum et sententiarum; vixit 98—55. a. Chr. n. scripsitque carmen didacticum de rerum natura. - *Exitio terras cum dabit una dies*, alludit ad Lucret. V. 92—95., ubi doctrina Epicurea de exitio mundi exponitur: «Principio maria ac terras cælumque tuere: Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi, Tris species tam dissimilis, tria talia texta Una dies dabit exitio.» - *Tityrus et*

segetes Aeneiaque arma, alludit ad initia carminum Vergilianorum; cf. Ecl. 1, 1: «Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi», Ge. I. 1: «Quid faciat lætas segetes», Aen. I. 1: «Arma virumque cano.» — *triumphati ... orbis,* devicti; cf. adn. supra ad I. 14, 46.

V. 27—30. *Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,* alludit ad Tib. II. 6, 15—16: «Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, Si licet, exstinctas aspiciamque faces.» — *numeri,* versus. — *culte Tibulle,* ad elegantiam dicendi referendum. — *Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois,* ex Prop. II. 3, 43: «Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois.» — *Gallus,* Cornelius Gallus, elegiæ Romanæ pater, Octaviani et Vergilii amicus. — *Lycoris,* puella, quam Gallus eligiis amatoriis celebravit.

V. 31—32. *cum silices, cum dens patientis aratri Depereant ævo,* ex Lucret. I. 313—316: «uncus aratri Ferreus occulte decrescit vomer in arvis, Strataque iam volgi pedibus detrita viarum Saxea conspicimus.» — *dens ... aratri,* vomer. — *patientis,* duri.

V. 34—38. *auriferi ... Tagi,* fluvius Hispaniæ, in cuius harena aurum erat; ex Catull. 29, 19: «amnis aurifer Tagus.» — *ripa benigna,* munifica, homines ditans; cf. adn. supra ad I. 10, 56: «benignus ager.» — *Vilia miretur vulgus,* sc. divitias et potentiam; poeta ante oculos habuit Lygd. 3, 19—20. (de divitiis): «Et quæ præterea populus miratur: in illis Invidia est, falso plurima vulgus amat.» — *mihi flavus Apollo Pocula Castalia plena ministret aqua,* poeta respexit Prop. III. 3, 13—14: «Cum me Castalia speculans ex arbore Phœbus Sic ait» et ibid. 51—52: «Talia Calliope lymphisque a fonte petitis Ora Philetæa nostra rigavit aqua.» — *flavus Apollo,* flavos habuit capillos Apollo, unde sæpe χρυσοκόμης appellatur, ut Pind. Ol. 6, 41. et 7, 32; Aristoph. Av. 219; Eurip. Suppl. 1000. — *Castalia ... aqua,* ex fonte Castalio in monte Parnaso, unde poetæ bibentes sacro quodam furore corripiuntur. — *Sustinеamque coma metuentem frigora myrtum,* ut Tib. I. 3, 66: «Et gerit

insigni myrtea serta coma» et Ov. A. A. II. 734: «Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ». — *metuentem frigora,* litora enim Italiæ myrtus amat, ubi mitior est cæli temperies; cf. adn. supra ad I. 1, 29. — *myrtum,* quæ maxime convenit poetæ erotico; cf. adn. supra ad I. 1, 29. — *sollicito ... amante,* ablativus simplex pro ablativo auctoris cum *ab,* ut infra II. 5, 35. et II. 14, 30; Her. 5, 126. et 12, 161. sq.; A. A. III. 739; Rem. 458,; Met. III. 115. — *multus,* i. e. multum, sæpissime.

V. 39—42. *Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,* ex Prop. III. 1, 21—22: «At mihi quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fenore reddet opus;» cf. Ov. Trist. IV. 10, 123: «qui detractat præsentia, Livor.» — *post fata,* post mortem. — *suus ... honos,* ei debitus, conveniens. — *supremus ... ignis,* in rogo. — *Vivam parsque mei multa superstes erit,* ex Hor. Carm. III. 30, 6—7: «Non omnis moriar multaque pars mei Vitabit Libitinam.»

AD LIBRUM SECUNDUM.

I.

Lib. II. eleg. 1.

Prologus libri secundi: poeta narrat, cur omisso carmine epico elegias amatorias scribat. Auctor est Prop. I. 9, 11–14:

> Plus in amore valet Mimnermi versus Homero:
> Carmina mansuetus lenia quærit Amor.
> I quæso et tristes istos compone libellos
> Et cane, quod quævis nosse puella velit.

Ex hac sententia fecit Ovidius elegiam totam. Respexit præterea Tib. II. 4, 15–20:

> Ite procul Musæ, si non prodestis amanti:
> Non ego vos, ut sint bella canenda, colo,
> Nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
> Complevit, versis luna recurrit equis.
> Ad dominam faciles aditus per carmina quæro:
> Ite procul, Musæ, si nihil ista valent.

V. 1—4. *Pælignis natus aquosis,* Sulmone in Pælignis; cf. infra II. 16, 1—2: «Pars me Sulmo tenet Pæligni tertia ruris, Parva, sed assiduis ora salubris aquis» et III. 15, 11–12: «Sulmonis aquosi Mœnia.» – *aquosis,* aquis abundans, ut Prop. IV. 8, 1: «Esquilias aquosas.» – *nequitiæ ... poeta meæ,* nequitia est amori vivere, ut poetæ erotici solent; Ovidius respexit Prop. I, 6, 25–26: «Me sine, quem semper voluit fortuna iacere, Hanc animam extremæ reddere nequitiæ» et II. 24, 6: «Non ego nequitiæ dicerer esse caput.» – *procul hinc, procul este, severi,* ex Verg. Aen. VI. 258: «procul o procul

este profani.» — *severi,* qui severis moribus sunt, inimici amoris; cf. Catull. 5, 1—3: «Vivamus, mea Lesbia, atque amemus, Rumoresque senum *severiorum* Omnes unius æstimemus assis.» — *teneris... modis,* mollibus versibus, i. e. distichis elegiacis; cf. adn. supra ad I. 1, 18. — *theatra,* hoc loco turbam auditorum significat; ex Hor. Ep. I. 19, 41—42: «spissis indigna theatris Scripta pudet recitare.» Cf. Ov. Pont. I. 5, 69: «Hoc mea contenta est infelix Musa theatro.»

V. 5—8. *Me legat in sponsi facie non frigida virgo Et rudis ignoto tactus amore puer,* ex Prop. I. 7, 13: «Me legat assidue post hæc neglectus amator» et III. 3, 19—20: «Ut tuus in scamno iactetur sæpe libellus, Quem legat exspectans sola puella virum.» — *in sponsi facie non frigida virgo,* quæ movetur pulchritudine sponsi; cf. infra II. 7, 9: «in te quoque frigidus esse.» De *in* cf. adn. supra ad I. 7, 34: «sævus in hoste.» — *facie,* pulchram faciem intellege, ut infra II. 3, 13: «Est etiam facies» et II. 17, 7: «Dat facies animos.» — *rudis ... puer,* amoris imperitus. — *flammæ conscia signa suæ,* quæ amorem eius produnt.

V. 11—14. *cælestia bella,* Iovis bellum cum Gigantibus, argumentum epicum; poeta ante oculos habuit Prop. II. 1, 19—20: «Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo Impositam, ut cæli Pelion esset iter» et ibid. 39: «Phlegræos Iovis Enceladique tumultus» et III. 9, 47—48: «Te duce vel Iovis arma canam cæloque minantem Cœum et Phlegræis Eurymedonta iugis.» — *Centimanumque Gyen,* ex Hor. Carm. II. 17, 14: «centimanus Gyas.» Cf. Hes. Theog. 147—150: *Ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο Τρεῖς παῖδες μεγάλοι τε καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοί, Κόττος τε Βριαρεύς τε Γύης θ', ὑπερήφανα τέκνα, Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο.* Gyen, unum *Ἑκατογχειρῶν,* hoc loco Gigantibus adnumerat poeta, ut etiam Fast. IV. 593. *Ἑκατογχείρας* cum Gigantibus confundit etiam Met. I. 183—184: «centum quisque parabat Inicere anguipedum captivo bracchia cælo.» — *Gyen,* ita scripsimus cum Luciano Mueller; cf. infra adn. crit. ad h. l. —

satis oris erat, satis virium poeticarum; cf. Hor. Sat. I. 4, 43—44. (de vero poeta): «Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os Magna sonaturum, des nominis huius honorem.» — *Cum male se Tellus ulta est*, postquam Iuppiter Titanes, filios Urani et Telluris, in Tartarum deiecit, Tellus, ut iniuriam ulcisceretur, peperit Gigantes cælum oppugnaturos. — *male*, infeliciter, quia Gigantes devicti sunt a Iove. — *ingestaque Olympo Ardua devexum Pelion Ossa tulit*, Hom. Od. XI. 315. sqq. narrat de Aloidis, Oto et Ephialte, cælum oppugnantibus: *Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' Οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη*. Hanc fabulam ad Gigantes transtulit Ovidius. Cf. Prop. II. 1, 19—20: «Ossan Olympo Impositum, ut cæli Pelion esset iter» et Ov. Met. I. 152—153: «Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantas Altaque congestos struxisse ad sidera montes.» — *Olympo ... Pelion Ossa*, montes Thessaliæ.

V. 15. *In manibus nimbos et cum Iove fulmen habebam*, i. e. operam dedi carmini epico scribendo. — *nimbos*, nubes, unde fulmina veniunt. — *cum Iove fulmen*, Iuppiter enim fulmine devicit Gigantes; cf. Ov. Met. I. 154—155: «Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine et excussit subiectæ Pelion Ossæ.»

V. 19—22. *tua tela*, i. e. fulmina; *tela* est correctio editionum veterum, codices habent: *verba*, quod hoc loco tolerari non potest. — *Clausa tuo maius ianua fulmen habet*, cf. supra I. 16, 6. (ad ianitorem): «Tu, me quo possis perdere, fulmen habes.» — *elegosque levis*, disticha elegiaca, quæ opponuntur *gravi numero* supra I. 1, 1. commemorato, i. e. versui heroico. — *Mollierunt duras lenia verba fores*, cf. Lygd. 4, 76: «Vincuntur molli pectora dura prece.»

V. 23—28. *Carmina sanguineæ deducunt cornua lunæ Et revocant niveos Solis cuntis equos*, ut Ov. Her. 6, 85—86. (de Medea): «Illa reluctantem cursu deducere Lunam Nititur et tenebris abdere Solis equos.» — *Carmina*, sc. magica. — *sanguineæ deducunt cornua lunæ*, ex Tib. I. 8, 21: «Cantus et

e curru Lunam deducere temptat.» Cf. adn. supra ad I. 8, 12: «Purpureus Lunæ sanguine vultus erat.» — *cornua lunæ,* cogitandum de luna dimidiata; cf. Prop. III. 5, 27—28: «unde coactis Cornibus in plenum menstrua luna redit.» — *revocant niveos Solis euntis equos,* ut orientem versus recurrat. — *niveos Solis... equos,* candidos, ex Lygd. 6, 8: «Fulserit hic niveis Delius alitibus», ubi *alites* appellantur equi alati Solis. — *Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues,* ex Verg. Ecl. 8, 71: «Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis;» cf. Ov. Met. VII. 203. (Medea de se): «Vipereas rumpo verbis et carmine fauces.» — *Inque suos fontes versa recurrit aqua,* ut Tib. I. 2, 44. (de saga): «Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.» — *Carminibus cessere fores,* etiam apud Prop. III. 3, 49—50. ita definit Apollo poetæ erotici propositum: «Ut per te clausas sciat excantare puellas, Qui volet austeros arte ferire viros.» — *robur erat,* cf. supra adn. ad I. 6, 28: «Roboribus duris.» — *carmine victa sera est,* dixit enim Tib. I. 2, 9: «Ianua, iam pateas uni mihi, *victa* querelis.»

V. 29—32. *Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles,* i. e. carmina epica ad exemplum Homeri scripta; cf. Prop. I. 9, 9—10. (ad poetam epicum): «Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?» et II. 34, 30: «Nil iuvat in magno vester amore senex» sc. Homerus, et I. 9, 11: «Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.» — *profuerit,* proderit, fut. exact. pro fut. simpl., ut sæpe apud poetas. — *velox... Achilles,* i. e. *πόδας ὠκὺς* secundum Homerum. — *Quique tot errando, quot bello, perdidit annos,* Ulixes, qui decem annos Troiam oppugnavit, decem erravit. — *Raptus et Hæmoniis flebilis Hector equis,* ex Prop. II. 8, 38: «Fortem illum Hæmoniis Hectora traxit equis.» — *Hæmoniis,* Thessalicis; erat enim patria Achillis Phthia in Thessalia; cf. adn. supra ad I. 14, 40: «Hæmonia aqua.» — *flebilis,* sensu passivo.

V. 33—36. *At facie teneræ laudata sæpe puellæ Ad vatem, pretium carminis, ipsa venit,* etiam Tib. II. 4, 19. dicit: «Ad

dominam faciles aditus per carmina quæro.» Cf. Prop. III. 2, 7—8: «Miramur, nobis et Baccho et Apolline dextro Turba puellarum si mea verba colit?» — *herorum clara valete Nomina*: *non apta est gratia vestra mihi,* cf. Tib. II. 4, 15—16: «Ite procul, Musæ, si non prodestis amanti: Non ego vos, ut sint bella canenda, colo.» — *gratia vestra,* favor.

V. 38. *purpureus quæ mihi dictat Amor,* cf. Prop. II. 1, 34: «Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo: Ingenium nobis ipsa puella facit.» — *purpureus... Amor,* de rubore faciei cogitandum. — *dictat,* ex Prop. IV. 1, 133: «Tum mihi pauca suo de carmine dictat Apollo.» Cf. Ov. Her. 15, 27: «At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.»

II.

Lib. II. eleg. 2.

Ad eunuchum puellæ custodem. Argumentum sumptum videtur ex comœdia Atticorum nova, ubi servi primarias agebant partes. In monitis servo datis inde a vs. 27. poeta ante oculos habuit Plaut. Mil. Glor. II. 3., ubi Palæstrio monet conservum suum Sceledrum, ne peccata dominæ prodere audeat.

Cum hac elegia artissime cohæret sequens.

V. 1—4. *Quem penes est* etc., vss. 1- 4. poeta respicere videtur Prop. II. 23, 3—6: «Ingenuus quisquam alterius dat munera servo, Ut promissa suæ verba ferat dominæ, Et quærit totiens: «Quænam nunc porticus illam Integit» et «campo quo movet illa pedes.» — *Bagoe,* nomen eunuchi, ut apud Strab. I. p. 15. *Βαγῶος* et apud alios *Βαγώας*. Vox a Persis sumpta; apud Persas enim plures erant eunuchi hoc nomine noti, inter quos celeberrimus ille, qui Artaxerxem III. occidit; cf. Quintil. V. 12, 21. Commune hoc eunuchorum nomen apud Persas fuisse affirmat Plin. N. H. XIII. 41: «in horto Bagou:

ita vocant spadones, qui apud eos (sc. Persas) etiam regnavere.» — *perago tecum,* pertracto; cf. Prop. IV. 7, 95: «Hæc postquam querula mecum sub lite peregit» et Tib. I. 2, 13—14: «quæ plurima voce peregi Supplice.» — *vaca,* i. e. vaca mihi, exaudi me. — *luce,* die. — *Illa,* sc. in illa porticu. — *quæ Danai porticus agmen habet,* agitur de porticu templi Apollinis in Palatino ab Augusto a. 28. a. Chr. n. dedicati. Porticum descripsit Prop. II. 31, 2—4: «porticus a magno Cæsare aperta fuit. Tanta erat in speciem, Pœnis digesta columnis. Inter quas Danai femina turba senis.» Ad eandem alludit Ov. A. A. I. 73—74: «Quaque parare necem miseris patruelibus ausæ Belides et stricto stat ferus ense pater» et ibid. III. 389: «Visite laurigero sacrata Palatia Phœbo.» Erant in illa porticu inter columnas collocatæ statuæ Danaidum unaque cum iis pater Danaus stricto ense. — *Danai ... agmen,* filiæ Danai, quæ iussu patris sponsos suos, filios Aegypti, necaverunt. - *porticus,* in porticibus ambulabant homines elegantiores et conveniebant amantes, unde Ovidii præcepta A. A. I. 67—74. et III. 387—392.

V. 5. *misi,* sc. tabellarium ad eam. — *rogavi,* cf. adn. supra ad I. 8, 43: «rogavit.»

V. 8. *cura,* custodia, ut Ov. A. A. III. 602: «Et nimium duri cura molesta viri.»

V. 10—12. *quem metuit quisque, perisse cupit,* ex versu Ennii (apud Cic. De off. II. 7): «Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit.» — *Vir,* coniunx puellæ. — *quid enim servare laboret, Unde nihil, quamvis non tueare, perit,* i. e. pudenda mulieris; cf. Ov. A. A. III. 90—92: «Mille licet sumant, deperit inde nihil; Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu: Sufficit et damni *pars* caret *illa* metu.» Eadem sententia in carm. Priap. 3, 1—2., quod Seneca rhetor (Controv. I. 2, 22.) Ovidio tribuit: «Obscure poteram tibi dicere: da mihi, quod tu Des licet assidue, nil tamen inde perit.»

V. 14. *castum, multis quod placet, esse putet,* cf. Ov. Her. 16, 287—88: «Aut faciem mutes aut sis non dura necesse

est: Lis est cum forma magna pudicitiæ» et Iuv. Sat. X. 293: «rara est concordia formæ Atque pudicitiæ.»

V. 16. *Quam dederis illi, reddat ut illa tibi,* sc. libertatem, i. e. ut manumittaris; cf. infra vs. 40: «Hæc fac: in exiguo tempore liber eris.»

V. 17—18. *obnoxia,* obligata. — *dissimulare,* i. e. dissimulare te aliquid vidisse; simulare, te nil vidisse.

V. 21—24. *Ibit ad adfectam, quæ non languebit, amicam,* i. e. ut apud eam cum amatore conveniat; idem dolus Ov. A. A. III. 641—642: «Cum, quotiens opus est, fallax ægrotet amica Et cedat lecto quamlibet ægra suo.» — *Visat: iudiciis ægra sit illa tuis,* i. e. comitare eam ad amicam et simula te credere morbum amicæ. — *iudiciis ... tuis,* idem numeri pluralis usus Ov. Her. 3, 104: «Semper iudiciis ossa verenda meis;» A. A. II. 416; Rem. 426; Pont. IV. 3, 16. — *Si faciet tarde,* si diu apud amicam morabitur. — *Imposita gremio stertere fronte potes,* recte: non gremio, sed genibus imposita fronte, ut servi humi sedentes et crura contrahentes dormire solent; cf. Hor. Sat. II. 7, 59—61: «turpi clausus in arca... Contractum genibus tangas caput», ubi hoc genus sedendi rem servo dignam significat.

V. 25—26. *linigeram fieri quid possit ad Isim,* mulieres in templis sacra viris non adeunda prætendentes sæpe conveniebant cum amantibus; cf. Ov. A. A. I. 77—78: «Nec fuge linigeræ Memphitica templa iuvencæ: Multas illa facit, quæ fuit ipsa Iovi» et ibid. III. 393: «Visite turicremas vaccæ Memphitidos aras» et ibid. III. 635—638: «Cum sedeat Phariæ sistris operata iuvencæ, Quoque sui comites ire vetantur, eat, Cum fuget a templis oculos Bona Diva virorum, Præterquam si quos illa venire iubet»; Tib. I. 6, 21—22: «Exibit quam sæpe, time, seu visere dicet Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ»; Iuven. IX. 22—25: «Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis et Ganymeden Pacis et advectæ secreta Palatia Matris Et Cererem (nam quo non prostat femina templo?), Notior Aufidio moechus celebrare solebas.» Etiam Prop. II. 19,

10. dicit Cynthiæ: «Fanaque peccatis plurima causa tuis.» — *linigeram,* tales enim vestes gerebat ipsa dea, tum sacerdotes et cultores eius, unde Isis etiam Pont. I. 1, 51—52. *linigera,* Met. I. 747. cultores deæ *linigera turba* vocantur. — *Isim,* de hac dea cf. adn. supra ad I. 8, 74: «Isis.» — *nec tu curva theatra time,* cf. Ov. A. A. I. 89—91. (præceptum ad amatorem): «Sed tu præcipue curvis venare theatris: Hæc loca sunt voto fertiliora tuo. Illic invenies, quod ames, quod ludere possis» et ibid. III. 633 634: «Quid faciat custos, cum sint tot in urbe theatra?» — *curva,* propter notam theatri formam.

V. 27—30. *commissi,* secreti tibi commissi; cf. Hor. Ep. I. 18, 37: «Commissumque teges et vino tortus et ira.» — *honores,* præmia. — *Quis minor est autem quam tacuisse labor,* ut Ov. A. A. II. 603—604: «Exigua est virtus præstare silentia rebus, At contra gravis est culpa tacenda loqui.» Cf. Curt. IV. 6, 6: «Vetus disciplina regum (sc. in Persia) silentium vitæ periculo sanxerat: lingua gravius castigatur, quam ullum probrum, nec magnam rem magis sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facillimum voluerit esse natura.» — *Ille placet versatque domum neque verbera sentit: Ille potens, alii, sordida turba, iacent,* ut Plaut. Mil. 349—352. servus Sceledrus dicit de conservo dominæ conscio: «Sed hic illi supparasitatur semper: hic eæ proxumumst: Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur. Nam illic noster est fortasse circiter triennium: Nec quoiquam quam illi in nostra meliust famulo familia.» — *versatque domum,* regnat in domo. — *sordida,* vilis. — *iacent,* contempti sunt.

V. 31—33. *Huic,* huius gratia. — *veræ ut lateant causæ,* supple: cur tanto in honore sit. — *ambo domini,* sc. vir et puella. — *traxit vultum,* ut irati solent. — *rugasque coegit,* sc. in fronte.

V. 35—39. *tecum quoque iurgia nectat,* sc. puella per speciem. — *carnificemque vocet,* propter custodiam crudelem. — *obiciens,* correxit Heinsius; codices Parisinus et Sangallensis habent: *obicies;* cf. infra adn. crit. ad h. l. — *diluat,* refu-

tet. — *Et veris*, etiam veris criminibus; correxit Ehwald ex lectione cod. Sarrav., qui habet: *et veri;* Parisinus et Sangallensis habent *in verum* manu prima, *in vero* manu secunda. — *alta peculia crescent*, i. e. in altum crescent. — *peculia*, pecunia a servo collecta, qua libertatem a domino redemit.

V. 42—46. *orba fide*, qui prodiderunt secreta, quæ fidei eorum erant commissa. — *Quærit aquas in aquis et poma fugacia captat Tantalus*, de poena Tantali apud inferos cf. Hom. Od. XI. 583—592. — *hoc illi garrula lingua dedit*, nam secundum Hygin. Fab. 82: «Iuppiter Tantalo concredere sua consilia solitus erat . . . quæ Tantalus ad homines renuntiavit»; cf. Ov. A. A. II. 605—606: «O bene quod frustra captatis ab arbore pomis Garrulus in media Tantalus aret aqua». — *custos Iunonius*, Argus, qui Ion, amicam Iovis, in vaccam mutatam iussu Iunonis custodierat et a Mercurio occisus est. — *illa deast*, Io in Aegypto dea facta est, nomine Isis. Cf. Prop. II. 28, 17—18; «Io versa caput centum mugiverat annos: Nunc dea, quæ Nili flumina vacca bibit».

V. 47—48. *Vidi ego compedibus liventia crura gerentem, Unde vir incestum scire coactus erat*, cf. Plaut. Mil. 294—295., ubi Palæstrio ita monet conservum suum Sceledrum: «Verum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam: Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem hinc creas». — *Unde*, a quo. — *incestum*, adulterium.

V. 53—54. *tepet*, tepido amore est, i. e. puellam non magnopere amat. — *indicium . . . perdis*, i. e. frustra facis indicium. — *securas*, infidelitatem puellæ non curantes. — *amat*, magno veroque amore.

V. 55—58. *ex facili*, facile. — *probatur*, demonstratur. — *tuta . . . venit*, tuta est; cf. adn. supra ad I. 10, 33: «venturast». — *Viderit ipse licet, credet tamen illa neganti*, cf. Plaut. Mil. 187—188. (de puella fallaci): «Ut eum, qui se hic vidit, verbis vincat, ne is se viderit: Si quidem centiens hic visa sit, tamen infitias eat» et Tib. I. 2, 55—56. (de marito decepto): «Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam, Non

sibi, si in molli viderit ipse toro». — *sibi verba dabit,* se ipsum fallet. — *Adspiciat,* si adspiciat: coniunctivus condicionalis.

V. 63—64. *Non scelus adgredimur, non ad miscenda coimus Toxica,* ex Prop. II. 32, 27—30., ubi Cynthiæ infidelitatem ita excusat: «Non tua deprenso damnata est fama veneno: Testis eris puras, Phœbe, videre manus. Sin autem longo nox una aut altera lusu Consumpta est, non me crimina parva movent».

V. 66. *mollius,* mitius.

III.

Lib. II. eleg. 3.

Ad eundem eunuchum, quem poeta supra vs. 1. elegiæ præcedentis allocutus est. Custos enim preces amatoris exaudire noluit, quod poeta non miratur, cum eunuchus amorem ipse non sentiens ne aliorum quidem amores intellegere possit; iterum tamen temptat eum promissis.

V. 3. *Qui primus pueris genitalia membra recidit,* pueri castrabantur ante pubertatis tempus, ne libidinem umquam sentirent.

V. 5—6. *Mollis in obsequium facilisque rogantibus esses,* poeta igitur precibus (quæ supra II. 2, 9. sqq. leguntur) non potuit eunuchum movere. — *in quavis,* sc. puella. — *prætepuisset,* vox nusquam alibi occurrit.

V. 7—8. *Non tu natus equo* etc., non potes miles esse, cum sis eunuchus, i. e. homo effeminatus.

V. 10. *cum domina signa ferenda,* i. e. una cum domina Amoris castra sequere, amori servi.

V. 11—14. *imple meritis,* multitudinem officiorum significat, ut Lygd. 3, 1: «cælum votis implesse» et Val. Flacc. II. 167: «tum voce deos, tum questibus implent». — *Si careas illa, quis tuus usus erit,* est enim unicum eunuchorum munus puellas custodire. — *facies,* sc. pulchra facies; cf. adn. supra

ad II. 1, 5: «facie». *lusibus,* sc. amatoriis; cf. adn. supra ad I. 8, 43: «Ludunt». - *Indigna est pigro forma perire situ,* cf. supra I. 8, 52 53: «Canescunt turpi tecta relicta situ: Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit».

V. 15—18. *potuit,* potuisset. — *quamvis habeare molestus,* alludit ad vs. 8. elegiæ præcedentis: «Quod nimium dominæ cura molesta tua est». — *effectu,* successu. — *Aptius at fuerit precibus temptasse,* sed aptius erit precibus te temptare. — *at,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *fuerit,* erit; fut. exact. pro fut. simpl., ut supra II. 1, 29: «Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?» — *bene ponendi munera,* tamquam in fenore ponere, ut pecuniam magnarum usurarum causa.

IV.

Lib. II. eleg. 4.

Poeta se omnium generum puellas amare confitetur. Auctor est Prop. II. 22, 1—18:

Scis here mi multas pariter placuisse puellas?
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli diducit candida gestu
Bracchia seu varios concinit ore modos:
Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quæ si forte aliquid vultu mihi dura negabat,
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes;
Quod quæris, «quare», non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua bracchia cultris
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

Præterea ante oculos poeta habuit Prop. II. 25, 41–46;

Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco: ducit uterque color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit.
Illaque plebeio vel sit sandycis amictu,
Hæc atque illa mali vulneris una via est.

V. 2. *Falsaque pro vitiis arma movere meis,* defendere vitia mea falsis argumentis.

V. 4. *In mea nunc demens crimina fassus eo,* hac confessione mea propria vitia aggredior, in ea invehor.

V. 5—7. *Odi nec possum cupiens non esse, quod odi,* odi mea vitia, tamen indulgeo iis; cf. Ov. Met. VII. 20: «video meliora proboque: Deteriora sequor». — *studeas ponere,* velis deponere. — *iusque,* potestas.

V. 10. *Centum sunt causæ, cur ego semper amem,* poeta ante oculos habuit Prop. II. 22, 18: «Mi fortuna aliquid semper amare dedit»; cf. Ov. Her. 15, 80: «Et semper causa est, cur ego semper amem».

V. 11—16. *Sive aliquast* etc., vss. 11—14. poeta respexit Tib. I. 4, 13—14: «Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi Virgineus teneras stat pudor ante genas». — *oculos in se deiecta,* cuius oculi pudore in gremium deiecti sunt. Cf. infra III. 6, 67: «oculos in humum deiecta modestos». — *insidiæ... meæ,* laquei, in quos incido. — *rustica non est,* cf. adn. supra ad. I. 8, 44: «rusticitas». — *in molli mobilis esse toro,* cf. infra III. 14, 26: «Spondaque lasciva mobilitate tremat». — *rigidasque imitata Sabinas,* cf. supra adn. ad I. 8, 39: «Sabinas». — *ex alto,* occulte.

V. 19. *Callimachi,* cf. adn. supra ad I. 15, 13: «Battiades». — *rustica,* non satis artificiosa; cf. supra I. 15, 14. de Callimacho: «Quamvis ingenio non valet, arte valet».

V. 22. *sustinuisse femur,* sc. in coitu; cf. infra III. 2, 29: «Talia Milanion Atalantes crura fugacis Optavit manibus sustinuisse suis» et adn. ad h. l.

V. 23. *Molliter incedit*, ut Prop. II. 12, 24. de puella: «ut soleant molliter ire pedes». — *altera dura est*, rigidos habet motus.

V. 25. *flectitque . . . vocem*, i. e. modulatur, numerose mutat; cf. Tib. I. 7, 37: «voces inflectere cantu» et Lucret. V. 1486: «Ducere multimodis voces et flectere cantus». — *facillima*, pro adverbio.

V. 27. *querulas habili percurrit pollice chordas*, cf. Tib. II. 5, 3: «vocales impellere pollice chordas».

V. 29—32. *Illa placet gestu numerosaque bracchia ducit*, agitur de gestibus saltantis; poeta ante oculos habuit Prop. II. 22, 5: «Sive aliquis molli diducit candida gestu Bracchia». — *numerosa*, pro adverbio. — *ab arte*, pro: arte, ut etiam infra II. 12, 2. et II. 15, 14; ad exemplum Tib. I. 9, 66: «non solita corpus ab arte movet» et I. 5, 4: «Quem celer adsueta versat ab arte puer» et II. 1, 56: «Primus inexperta duxit ab arte choros» et Prop. III. 25, 5: «ista sum captus ab arte». — *causa . . . ab omni*, etiam hoc loco *ab* cum ablativo pro simplici ablativo; cf. adn. supra ad I. 13, 41: «ab annis». — *Hippolytum*, filius Thesei, privignus Phædræ, exemplum castitatis. — *Priapus*, deus fertilitatis, cuius signum ligneum minio pictum, nudum et pene erecto, in hortis ponere solebant antiqui.

V. 33—34. *quia tam longa es, veteres heroidas æquas*, deæ et heroinæ grandiore erant statura, quam homines; etiam Prop. II. 2, 5—6. ita laudat Cynthiam: «maxima toto Corpore et incedit vel Iove digna soror». — *in toto . . . toro*, totum implens torum. — *multa*, magna.

V. 37—38. *Non est culta: subit, quid cultæ accedere possit, Ornata est: dotes exhibet ipsa suas*, ut Prop. II. 25, 45—46: «Illaque plebeio vel sit sandycis amictu: Hæc atque illa mali vulneris una via est». — *subit*, in mentem venit.

V. 39—40. *Candida me capiet, capiet me flava puella, Est etiam in fusco grata colore Venus*, poeta imitatur Prop. II. 25, 41—42: «Vidistis pleno teneram candore puellam, Vidistis

fusco: ducit uterque color». Præterea respexisse videtur duo Stratonis epigrammata, Anth. Pal. XII. 5, 1- 2: *Τοὺς λευκοὺς ἀγαπῶ, φιλέω δ' ἅμα τοὺς μελιχρώδεις Καί ξανθούς, στέργω δ'ἔμπαλι τοὺς μέλανας* et ibid. XII. 244: *Ἦν ἐσίδω τινὰ λευκόν, ἀπόλλυμαι, ἢν δὲ μελίχρουν, Καίομαι, ἢν ξανθὸν δ', εὐθὺς ὅλος λέλυμαι.* — *Candida*, album cutis colorem significat. — *flava*, color cutis, qui est medius inter album et fuscum. — *Venus*, venustas.

V. 41- 44. *Seu pendent nivea pulli cervice capilli*, cf. Prop. II. 22, 9: «Sive vagi crines puris in frontibus errant». — *Leda fuit nigra conspicienda coma*, pulchritudinis exemplum est Leda, mater Helenæ, etiam apud Propert. I. 13, 29—30: «cum sit Iove digna et proxima Ledæ». — *conspicienda*, quæ spectaculum pulchrum præbet hominibus, ut Tib. I. 9, 70; II. 3, 52; IV. 6, 4. — *croceis Aurora capillis*, flavis; cf. supra adn. ad I. 13, 2: «Flava». — *historiis*, fabulis, mythis; eodem sensu Prop. I. 15, 24: «Tu quoque uti fieres nobilis historia».

V.

Lib. II. eleg. 5.

In amicam infidelem, quæ poetam in convivio fefellit. Idem fere argumentum, quod supra I. 4., nisi quod hic partes viri decepti poeta ipse agit. Auctor est Tibullus; cf. Tib. I. 2, 21- 22. et 6, 17—20. supra ad I. 4. laud.

V. 3- 4. *peccasse*, apud poetas eroticos absolute positum infidelitatem significat; cf. Tib. IV. 14, 1: «Rumor ait crebro nostram peccare puellam» et Prop. II. 19, 10. (ad Cynthiam): «Fanaque peccatis plurima causa tuis». — *mihi perpetuum nata puella malum*, ex Prop. II. 25, 1: «Unica nata meo pulcherrima cura dolori».

V. 5—7. *mi interceptæ*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *nudant*, aperiunt, produnt; cf. Tib. (Sulp.) IV. 7, 1- 2: «Tandem venit amor, qualem texisse pudori, Quam

nudasse alicui, sit mihi, Fama, magis». - *tabellæ*, tabulæ ceratæ; cf. adn. supra ad I. 11, 7: «tabellas». -- *data furtive munera*, sc. ab aliis amatoribus data. — *crimen habent*, te accusant. -- *arguerem*, accusarem. -- *vincere*, causam obtinere.

V. 12. *palma cruenta*, gloria crudelis.

V. 14. *adposito . . . mero*, in convivio; cf. adn. supra ad I. 4, 7: «posito vino». — *crimina vestra*, sc. crimina puellæ et amatoris novi.

V. 15—20. *Multa supercilio vidi vibrante loquentes: Nutibus in vestris pars bona vocis erat*, ut supra I. 4, 17—19: «Me specta nutusque meos vultumque loquacem, Excipe furtivas et refer ipsa notas! Verba superciliis sine voce loquentia dicam»; auctor est Tib. I. 2, 21—22: «viro coram nutus conferre loquaces Blandaque compositis abdere verba notis». — *pars bona vocis*, i. e. nutibus pæne locuti estis. — *Non oculi tacuere tui conscriptaque vino Mensa*, ut supra I. 4, 20: «verba notata mero»; cf. Ov. A. A. I. 571—573: «Blanditiasque leves tenui perscribere vino, Ut dominam in mensa se legat illa tuam, Atque oculos oculis spectare fatentibus ignem». Auctor est Tib. I. 6, 19—20: «Nec te decipiat nutu digitoque liquorem Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas». — *nec in digitis littera nulla fuit*, cf. supra I. 4, 20: «Verba leges digitis . . . notata», ubi vide adn. - *Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem*, ubi singulis verbis occulta significatio, de qua inter puellam et amatorem ante convenit, tribuitur; cf. Ov. A. A. I. 569—570: «Hic tibi multa licet sermone latentia tecto Dicere, quæ dici sentiat illa sibi». -- *Verbaque pro certis iussa valere notis*, i. e. verba, de quibus inter amantes ante convenit, certas habebant significationes præter amantes nemini notas.

V. 22. *Compositi iuvenes*, eleganter ornati; cf. infra II. 17, 9—10. de Corinna: «Scilicet a speculi sumuntur imagine fastus, Nec nisi *compositam* se prius illa videt».

V. 23—27. *iungentes oscula*, sc. vos. — *Illa . . . lingua nexa fuisse*, genus osculorum infame, quod Græci *καταγλώτ-*

τισμα vocant; cf. Tib. I. 8, 37—38: «Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis Oscula» et Ov. Her. 15, 129—130 «Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ Aptaque consueras accipere, apta dare». — *Qualia non fratri tulerit germana severo, Sed tulerit cupido mollis amica viro*, cf. Lygd. 4, 51—52: «Tantum cara tibi, quantum nec filia matri, Quantum nec cupido bella puella viro». — *Phœbo . . . Dianam*, ex coniectura Bentleyi; codices habent: *Phœbum . . . Dianæ*, quod tolerari non potest, cum agatur de osculis a sorore fratri datis.

V. 29—32. *mea gaudia differs*, tamquam vulgas gaudia mihi soli debita. — *Inicium dominas in mea iura manus*, ut supra I. 4, 40: «dicam: mea sunt, iniciamque manum», ubi vide adn. — *in mea iura*, in meam iustam possessionem. — *Hæc tibi sunt mecum, mihi sunt communia tecum*, hæc sunt bona mihi solum et tibi communia. — *In bona . . . venit*, proprie dicitur de eo, qui possessionem alterius occupat.

V. 34. *purpureus . . . pudor*, ut supra I. 3, 14.

V. 35—40. *Tithoni coniuge*, Aurora; cf. adn. supra ad I 13, 1: «a seniore marito». — *sponso visa puella novo*, quæ primum conspicitur a sponso sibi designato; poeta ante oculos habuit Lygd. 4, 31—32: «Ut iuveni primum virgo deducta marito Inficitur teneras ore rubente genas». — *Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ*, ex Verg. Aen. XII. 68—69: «mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa: talis virgo dabat ore colores»; cf. Lygd. 4, 33. (in eadem similitudine): «cum contexunt amarantis alba puellæ Lilia». — *sua lilia*, quæ rosis misceri solent propter colorem contrarium. — *Aut ubi cantatis Luna laborat equis*, cum Luna carminibus magicis devota deficit et tamquam laborat (dolores patitur); cf. supra adn. I. 8, 12: «Purpureus Lunæ sanguine vultus erat». — *equis*, ut Soli quadrigas, Lunæ bigas tribuunt poetæ; cf. Pseudo-Verg. Cir. 38—39: «candida Lunæ Sidera cæruleis orbem pulsantia bigis». — *ne longis flavescere possit ab annis*, candorem amittere. — *Mœonis Assyrium femina tinxit ebur*, sc. purpureo colore; poeta ante oculos habuit Hom. Il. IV. 142—142: Ὡς

δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μήνῃ Μηονὶς et Verg. Aen. XII. 67—68.: (in eadem similitudine): «Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur». — *Mœonis*, femina Lydia; Mæonia est enim nomen poeticum Lydiæ. — *Assyrium . . . ebur*, recte: Indicum, sed Assyria sæpe ponitur apud poetas pro terris orientalibus. Eodem sensu apud Tib. I. 3, 7: «Assyrios . . . odores».

V. 45—46. *culti*, ornati, dispositi. — *laniare capillos*, scindere, ut supra I. 7, 11. — *impetus*, desiderium iratum significat.

V. 50. *deteriora*, sc. quam amatori alteri.

V. 52. *tela trisulca*, fulmina, quæ in picturis antiquorum formam tridentis habent; cf. Ov. Met. II. 325—326. de Phaethonte fulmine icto: «trifida fumantia flamma Corpora».

V. 54. *ex hac . . . nota*, ex hoc genere; *nota* est proprie inscriptio amphoræ, quæ ætatem et genus vini signat; cf. Hor. Carm. II. 3, 8: «Interiore nota Falerni».

V. 57—58. *quod tota labellis Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis;* cf. adn. supra ad vs. 24; «Illa lingua nexa fuisse».

VI.

Lib. II. eleg. 6.

In mortem passeris Lesbiæ scriptum est carm. 3. Catulli, cuius exemplum secutus Ovidius mortem psittaci Corinnæ deflet, sed pro brevi simplicique Catulli carmine fecit epicedium lege artis rhetoricæ compositum. Ad exemplum Ovidii scripsit epicedium in psittacum Atedii Melioris Statius Silv. II. 4.

V. 1—6. *Eois*, orientalibus. — *imitatrix*, sc. humanæ vocis; cf. Stat. Silv. II. 4, 2: «Humanæ sollers imitator, psittace, linguæ». — *exsequias ite*, comitamini pompam funebrem. — *frequenter*, magno numero. — *plangite pectora pinnis*, alis, ut

lugentes pugnis pectora verberare solent. — *teneras ungue notate genas,* quod erat signum luctus, unde Tib. I. 1, 67—68: «Tu manes ne læde meos . . . et teneris, Delia, parce genis». — *pro mœstis . . . capillis,* solutis, quales erant capilli lugentium. — *lanietur,* scindatur, ut supra I. 7, 11. — *Pro longa . . . tuba,* cuius in pompa funebri erat usus; cf. Prop. II. 7, 12: «funesta tuba».

V. 7—9. *Quod scelus Ismarii* etc., Tereus, rex Thraciæ, uxorem duxit Prognen et postea vi compressit sororem eius, Philomelam. Tum Progne et Philomela, ut iniuriam ulciscerentur, parvum Ityn, filium Terei et Prognes, necaverunt et epulandum apposuerunt patri, qui, postquam rem cognovit, stricto gladio feminas crudeles persecutus est. Omnes denique in aves sunt mutati: ex Tereo epops, ex Progne hirundo (secundum alios luscinia), ex Philomela luscinia (secundum alios hirundo) facta est. Fabulam narrat Ov. Met. VI. 424. sqq. — *Ismarii,* Thracii; est enim Ismarus mons Thraciæ. — *quereris, Philomela,* de querulo lusciniæ cantu cogitandum. — *annis . . . suis,* luctui convenientibus. — *devertere,* emendavit Heinsius; codex Parisinus habet *devertite,* Sangallensis *divertite.*

V. 11—15. *libratis in aere cursus,* corpora libratis volando; cf. Verg. Ge. IV. 196. (de apibus): «sese per inania nubila librant». — *turtur amice,* cf. Ov. Her. 15, 38: «Et niger a viridi turtur amatur ave». Etiam Plin. N. H. X. 207. dicit: «amici pavones et columbæ, turtures et psittaci». — *Plena,* perfecta. — *stetit,* permansit. — *Argolico . . . Orestæ,* filio Agamemnonis, regis Argivorum. — *iuvenis Phoceus,* Pylades, filius Strophii, regis Phocidis.

V. 17—20. *forma coloris,* pulchritudo. — *mutandis ingeniosa sonis,* diversis sonis (humanis) pronuntiandis apta. — *ut datus es,* statim, simulatque datus es. — *avium gloria, nempe iuces,* locum imitatur Stat. Silv. II. 4. 23. (de psittaco): «Occidit aeriæ celeberrima gloria gentis».

V. 21—24. *pinnis,* sc. viridibus, quales psittaci habent. — *hebetare smaragdos,* obscurare. — *rubro . . . croco,* colore cro-

cino. — *Punica rostra,* rubra; nam Punicus est color purpuræ Africanæ; cf. Tib. II. 3, 57—58: «Illi selectos certent præbere colores Africa puniceum purpureumque Tyros». Poeta imitatur Prop. III. 3, 31—32: «columbæ Tingunt Gorgoneo Punica rostra lacu». — *vocum simulantior,* sc. vocum humanarum. — *blæso . . . sono,* quia aves humana voce loquentes minus accurate pronuntiant litteras.

V. 25. *invidia,* fato invido, quod optimum quemque terris invidet; cf. infra vs. 39: «Optima prima fere manibus rapiuntur avaris».

V. 27—28. *coturnices inter sua proelia,* coturnices mares pro feminis vehementissime certare solent. — *fiunt,* ita scripsi; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *inde,* ea de causa. — *anus,* senes; dicitur etiam de bestiis, ut Ov. A. A. I. 766: «cerva anus» et de rebus inanimis, ut Prop. II. 32, 6: «Appia cur totiens te via ducit anus».

V. 29—32. *Plenus eras,* satur. — *ora vacare,* accusativus Græcus; sed scribendum fortasse *ore.* — *causæque papavera somni,* ut Verg. Ge. I. 78: «Lethæo perfusa papavera somno». Habet enim papaver vim sopiendi. — *simplicis umor aquæ,* vino non mixtæ.

V. 33—38. *ducensque per æra gyros,* in gyro volans. — *pluviæ graculus auctor aquæ,* nuntius, augur, quia cantu suo pluviam portendit; cf. Hor. Carm. III. 17, 12—13: «aquæ nisi fallit augur Annosa cornix». — *cornix invisa Minervæ,* fabulam de hac re narrat Ov. Met. II. 552. sqq. (cornix de se): «nam tempore quodam Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam, Clauserat Actæo texta de vimine cista, Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis Et legem dederat, sua ne secreta viderent. Abdita fronde levi densa speculabar ab ulmo, Quid facerent: commissa duæ sina fraude tuentur, Pandrosos atque Herse; timidas vocat una sorores Aglauros nodosque manu diducit et intus Infantemque vident adporrectumque draconem. Acta deæ (sc. Minervæ) refero, pro quo mihi gratia talis Redditur, ut dicar tutela pulsa Minervæ Et

ponar post noctis avem». — *Illa quidem sæclis vix moritura novem*, cf. Hor. Carm. III. 17, 13: «annosa cornix» et Porphyr. adn. ad h. l.: «quoniam mille annos vivere adfirmatur». — *humanæ vocis imago*, imitatrix. — *extremo . . . ab orbe*, ab extremis orbis terrarum oris; cf. vs. 1.

V. 39—42. *prima*, primum; prius, quam deteriora. — *manibus . . . avaris*, sc. manibus avidis Mortis; cf. Tib. I. 3, 4: «Abstineas avidas Mors modo nigra manus». — *Implentur numeris . . . suis*, implent numeros annorum suorum. — *suis*, natura sibi datis. — *Phylacida*, Protesilaus Phylace, urbe Thessaliæ, oriundus, qui primus Græcorum Troiam oppugnantium cecidit. — *Thersites*, turpissimus et impudentissimus Græcorum Troiam oppugnantium. — *vivis fratribus Hector*, Priamus apud Hom. Il. XXIV. 260—262. dicit de filiis suis post mortem Hectoris superstitibus: *τὰ δ' ἐλέγχεα πάντα λέλειπται, Ψεῦσταί τ' ὀρχησταί τε, χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι, Ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες*.

V. 44—47. *Vota procelloso per mare rapta Noto*, dicitur de votis irritis; poeta ante oculos habuit Tib. I. 5, 35—36: «Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque Notusque Iactat odoratos vota per Armenios» et I. 4, 19—20: «periuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt». — *Septima lux*, dies. — *exhibitura*, datura. — *stabat vacuo iam tibi Parca colo*, filum vitæ tuæ iam absumptum erat. — *stupuerunt*, torpuerunt, tacuerunt.

V. 49—52. *Elysio*, apud inferos sedes animarum piarum. — *nigra . . . ilice*, obscura. — *Udaque perpetuo gramine terra viret*, ut infra II. 16, 10: «Gramineus madidam cæspes obumbrat humum». — *volucrum . . . piarum*, mitium, mansuetarum. — *obscenæ . . . aves*, rapaces.

V. 53—55. *late*, in agris latis. — *vivax phœnix*, fabulosa avis, de qua Ov. Met. XV. 392. sqq.: «Una est, quæ reparet seque ipsa reseminet ales: Assyrii Phœnica vocant; non fruge, neque herbis, Sed turis lacrimis et suco vivit amomi. Hæc ubi quinque suæ complevit sæcula vitæ, Ilicet in ramis tremulæque

cacumine palmæ Unguibus et puro nidum sibi construit ore Quo simul ac casias et nardi lenis aristas Quassaque cum fulva, substravit cinnama murra, Se super imponit finitque in odoribus ævum. Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos, Corpore de patrio parvum phœnica renasci; Cum dedit huic ætas vires onerique ferendo est, Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ Fertque pius cunasque suas patriumque sepulcrum Perque leves auras Hyperionis urbe (sc. Heliopoli in Aegypto) potitus Ante fores sacras Hyperionis (sc. Solis) æde reponit». — *unica semper avis,* quia eodem tempore unus tantum phœnix vivit. — *Explicat ipsa suas . . . pinnas,* i. e. sponte, ultro explicat caudam pavo, non expectat laudes hominum admirantium. Credebant enim antiqui pavonem, exemplum vanæ superbiæ, tum plerumque caudam explicare, cum laudes spectatorum audiat; cf. Ov. Med. fac. 33—34: «Laudatos homini volucris Iunonia pennas Explicat» et A. A. I. 627—628; «Laudatas ostendit avis Iunonia pinnas: Si tacitus spectes, illa recondit opes» et Met. XIII. 802: «Laudato pavone superbior». — *ales Iunonia,* pavo Iunoni sacer. — *pinnas,* caudam.

V. 58. *Convertit volucres in sua verba,* attentionem avium in se convertit verbis humanis pronuntiandis.

V. 61. *Colligor . . . placuisse,* rarior constructio pro: colligitur me placuisse.

VII.

Lib. II. eleg. 7.

Elegia hæc et sequens artissime cohærent. In VII. enim Corinna poetam cum Cypasside, ancilla sua, rem habuisse non sine causa suspicatur, cui reus respondet indignabundus. Corinnam recte iudicasse elegia sequenti docemur: poeta enim a Cypasside iterum noctem poscit; puella priore calamitate exterrita negat se amplius copiam sui facturam, quare poeta ira accensus minis respondet. Ante oculos habuit Prop. III. 15. 1—10., ubi Cynthiam, quæ ancillam Lycinnam a poeta ante amatam immerito vexavit, ita consolatur:

Sic ego non ullos iam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi:
Ut mihi prætexti pudor est ablatus amictus
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu, nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus:
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Quæstionem, num ancilla quoque amicæ temptanda sit, tractat Ov. A. A. I. 375—398.

V. 1—4. *sufficiam reus in nova crimina semper*, offeram me semper novis accusationibus. — *vincam*, causam obtineam, ut supra II. 5, 7. — *Sive ego marmorei respexi summa theatri*, ex Prop. IV. 8, 77. (Cynthia ad poetam): «Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum». Feminæ enim a viris separatæ in superioribus theatri partibus sedebant. — *marmorei . . . theatri*, theatrum Pompei a. a. Chr. n. 55. ædificatum; antea enim theatra Romæ ex ligno erant constructa. — *e multis*, sc. feminis.

V. 5—10. *Candida . . . femina*, pulchritudine quasi fulgens. — *tacito . . . vultu*, ad vultum feminæ, non ad vultum poetæ pertinet. — *tacitas . . . notas*, sc. poetæ destinatas. — *Siquam laudavi, misero petis ungue capillos*, ex Tib. I. 6, 69—70. (ad Deliam): «laudare nec ullam Possim ego, quin oculos appetat illa meos». — *misero*, supple: mihi. — *crimen dissimulare*, scelus occultare. — *Sive bonus color est*, si non palleo; pallor enim est signum amoris. Cf. Prop. I. 18, 17. (ad Cynthiam iratam): «An quia parva damus mutato signa colore?» et Ov. A. A. I. 729—730: «Palleat omnis amans: hic est color aptus amanti; Hoc decet: hoc stulti non valuisse putent». — *in te quoque frigidus esse*, cf. adn. supra ad II. 1, 5: «in sponsi facie non frigida virgo» et ad I. 7, 34: «sævus in hoste». — *Seu malus*, si palleo.

V. 17—22. *novum crimen*, accusatio. — *sollers ornare Cypassis*, ancilla ornatrix Corinnæ; cf. adn. supra ad I. 11, 1—2: «Colligere incertos et in ordine ponere crines Docta». — *Obicitur*, sc. mihi. — *dominæ contemerasse torum*, non sensu proprio, sed translato: pælicem esse dominæ, fefellisse in amore dominam. — *Di melius*, formula ad mala averruncanda, ut etiam Ov. A. A. II. 388; cf. Lygd. 4, 1: «Di meliora ferant», Ter. Phorm. 1005: «di melius duint», Ov. Met. VII. 37: «Di meliora velint», Cic. De senect. 47: «di meliora». — *peccasse*, cf. adn. supra ad II. 5, 3: »peccasse». — *contemptæ sortis*, quia serva est. — *Veneris famulæ*, servilis, i. e. amor in servam, ut dicitur «Venus mascula» (i. e. amor in pueros) et «Venus feminea» (i. e. amor in puellas). — *famulæ*, hoc loco adiectivi vice fungitur. — *conubia*, hoc loco concubitum illegitimum significat. — *verbere secta*, servilis poena erat verberatio; cf. supra I. 6, 19—20.

V. 23. *ornandis . . . operata capillis*, cf. adn. supra ad vs. 17: «sollers ornare Cypassis».

V. 25. *rogarem*, absolute positum; cf. adn. supra ad I. 8, 43: «rogavit».

V. 27. *puerique volatilis*, Cupidinis alati; cf. Hor. Carm. III. 12, 3: «Cythereæ puer ales». — *arcus*, per arma deorum sæpe iurabant antiqui; cf. Iuv. Sat. 13, 78—83: «Per Solis radios Tarpeiaque fulmina iurat Et Martis frameam, Cirrhæi spicula vatis, Per calamos venatricis pharetramque puellæ Perque tuum, pater Aegæi Neptune, tridentem, Addit et Herculeos arcus hastamque Minervæ, Quidquid habent telorum armamentaria cæli».

VIII.

Lib. II. eleg. 8.

V. 2. *in mille modos*, diversos capillorum positus intellege.

V. 3—4. *rustica*, cf. adn. supra ad I. 8, 44: «rusticitas». — *cognita furto*, contrarium dicit Ov. Her. 6, 43: «Non ego sum

furto tibi cognita». - - *furto,* apud poetas eroticos Venerem vetitam significat. - - *sed magis apta mihi,* unde Ovidii monitum ad puellas A. A. III. 665—666: «Nec nimium vobis formosa ancilla ministret: Sæpe vices dominæ præbuit illa mihi».

V. 6- 10. *verbo lapsus in ullo,* i. e. nullum mihi excidit verbum ineptum. -- *conscia signa,* rem prodentia, ut supra II. 1, 8. - - *Quid, quod in ancilla* etc., vss. 9—10. poeta alludit ad vss. 19– 22. elegiæ præcedentis. - - *delinquere,* peccare; cf. adn. supra ad II. 5, 3: «peccasse». -- *mente carere bona,* insanum esse.

V. 11—14. *Thessalus ancillæ facie Briseidos arsit,* ex Hor. Carm. II. 4, 3—4: «serva Briseis niveo colore Cepit Achillem». -- *Thessalus,* Achilles, cuius patria erat Phthia, urbs Thessaliæ. -- *ancillæ,* captivæ. -- *facie,* sc. pulchra; cf. adn. supra ad II. 1, 5: «facie». -- *Serva Mycenæo Phœbas amata duci,* ex Hor. Carm. II. 4, 7—8: «Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta»; cf. Ov. Trist. II. 400: «Teque, Mycenæo Phœbas amata duci». Agitur de Cassandra, quam captivam Agamemnon Troia rediens secum duxit Mycenas. — *Mycenæo,* Agamemnoni, regi Mycenarum. -- *Phœbas,* Cassandra, vates et sacerdos Phœbi; cf. adn. supra ad I. 7, 17: «vittatis capillis». -- *Nec sum ego Tantalide maior nec maior Achille: Quod decuit reges, cur mihi turpe putem,* ex Prop. II. 8. 39—40: «Inferior multo cum sim (sc. Achille) vel matre vel armis, Mirum, si de me iure triumphat Amor?» -- *Tantalide,* Agamemnon erat filius Atrei, nepos Pelopis, pronepos Tantali.

V. 15—20. *iratos in te defixit ocellos,* poeta ante oculos habuit Prop. I. 3, 19: «intentis hærebam fixus ocellis». -- *totis erubuisse genis,* propter pudorem. -- *refers,* sc. in mentem, recordaris. — *præsentior,* ad animi præsentiam referendum. -- *Per Veneris . . . numina,* alludit ad vss. 27– 28. elegiæ præcedentis. -- *Tu dea* etc., de periuriis amantium cf. adn. supra ad I. 8, 86: «Commodat in lusus numina surda Venus». -- *tu iubeas animi periuria puri Carpathium tepidos per mare ferre Notos,* ex Tib. I. 4, 21– 22: «Veneris periuria

venti Irrita per terras et freta summa ferunt» et Lygd. 4, 96: «Et iubeat tepidos irrita ferre Notos»; cf. Ov. A. A. I. 633—634: «Iuppiter ex alto periuria ridet amantum Et iubet Aeolios irrita ferre Notos» et Am. I. 4, 11—12:» «nec Euris Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis». — *animi ... puri,* aliis præter periuria amatoria sceleribus puri; cf. Ov. A. A. I. 641—644: «Reddite depositum, pietas sua fœdera servet; Fraus absit, vacuas cædis habete manus. Ludite, si sapitis, solas impune puellas! Hac minus est una fraude tuenda fides». — *Carpathium ... mare,* pars maris Aegæi meridionalis inter Rhodum et Cretam, ubi est insula Carpathus.

V. 22. *fusca,* ad colorem cutis referendum, ut supra II. 4, 40: «Est etiam in fusco grata colore Venus».

V. 24. *Unum est e dominis emeruisse satis,* nam, ut supra II. 2, 32. legimus: «ambo domini, quod probat una, probant». — *emeruisse,* meritis, officiis devinxisse.

V. 25—28. *negas,* absolute positum apud poetas eroticos significat: Veneris gaudia negare viro; contrarium est: *dare.* Cf. adn. supra ad I. 4, 70: «dedisse». — *veniam,* ero, fiam; cf. adn. supra ad I. 10, 33: «venturast». — *tecum fuerim,* sensu obsceno ipsum concubitum significat; cf. Ov. A. A. III. 663—664: «Hæc quoque, quae præbet lectum studiosa locumque, Crede mihi, mecum non semel illa fuit»; Varr. De l. l. VI. 80: «Violavit virginem pro *vitiavit* dicebant, æque eadem modestia potius *cum muliere fuisse,* quam concubuisse dicebant». — *quotque quibusque modis,* ex Tib. II. 6, 51—52: «mens mihi perdita fingit, Quisve meam teneat quot teneatve modis». — *modis,* de modis Veneris, i. e. de diversis concubitus figuris cogitandum, ut infra III. 7, 64. et III. 14, 24; cf. Ov. A. A. III. 787: «Mille modi Veneris» et ibid. II. 679—680.

IX/A.

Lib. I. eleg. 9a.

Elegiam IX. in duas elegias (IX. A = vss. 1– 24., IX. B = vss. 25—54.) distribuendas esse recte statuit Lucianus Mueller. In IX. A. poeta precatur Cupidinem: sinat se amori valedicere. In IX. B. sequitur palinodia: poeta sine amore se vivere non posse fatetur.

In IX. A. ante oculos habuit Prop. II. 12, 13– 20. (de Cupidine):

> In me tela manent, manet et puerilis imago:
> Sed certe pennas perdidit ille suas,
> Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam
> Assiduusque meo sanguine bella gerit.
> Quid tibi iucundum est siccis habitare medullis?
> Si pudor est, alio traice tela tua.
> Intactos isto satius temptare veneno:
> Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.

V. 1—2. *nunquam pro me satis indignate,* qui nunquam satis iratus fuisti pro me, i. e. numquam vulnerasti sagittis tuis puellas mihi lentas. Cf. Suet. Oct. 66. (de Augusto): «Gallo... et accusatorum denuntiationibus et senatus consultis ad necem compulso laudavit quidem pietatem tantopere *pro se indignantium*». — *O in corde meo desidiose puer,* qui semper in corde meo habitas neque tamen quidquam pro me agis, ut puellarum amorem mihi concilies; ex Prop. I. 1, 17: «In me tardus Amor non ullas cogitat artes», i. e. nullas me docet artes, quibus puellas superbas capere possim, et ex Prop. II. 12, 12—15: «In me tela manent (sc. Cupidinis), manet et puerilis imago: Sed certe pennas perdidit ille suas, Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam».

V. 3—6. *qui miles numquam tua signa reliqui,* poeta ante oculos habuit Tib. II. 6, 5—6. (ad Cupidinem): «Ure, puer,

quæso, tua qui ferus otia liquit Atque iterum erronem sub tua signa voca». Cf. Ov. Her. 19, 157: «In tua castra redi, socii desertor amoris». — *in castris . . . meis*, sc. in castris Cupidinis; cf. supra I. 9, 1: «habet sua castra Cupido». — *tua fax urit, figit tuus arcus*, cf. supra I. 2, 43—46. — *pugnantes*, qui Cupidini se dedere nolunt. — *non Hæmonius, quem cuspide perculit, heros Confossum medica postmodo fovit ope*, ex Prop. II. 1, 63—64: «Mysus et Hæmonia iuvenis qua cuspide vulnus Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem». Fabulam de Telepho, rege Mysiæ, narrat Apollod. Epit. III. 17: *ὁρμήσαντος δὲ Ἀχιλλέως ἐπ' αὐτὸν οὐ μείνας ἐδιώκετο καὶ διωκόμενος ἐμπλακεὶς εἰς ἀμπέλου κλῆμα τὸν μηρὸν τιτρώσκεται δόρατι . . . Τήλεφος δὲ ἐκ τῆς Μυσίας, ἀνίατον τὸ τραῦμα ἔχων, εἰπόντος αὐτῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τότε τεύξεσθαι θεραπείας, ὅταν ὁ τρώσας ἰατρὸς γένηται, τρύχεσιν ἠμφιεσμένος εἰς Ἄργος ἀφίκετο καὶ δεηθεὶς Ἀχιλλέως καὶ ὑπεσχημένος τὸν εἰς Τροίαν πλοῦν δεῖξαι θεραπεύεται ἀποξύσαντος Ἀχιλλέως τῆς Πηλιάδος μελίας τὸν ἰόν.* — *Hæmonius . . . heros*, Thessalus, i. e. Achilles; cf. adn. supra ad II. 8, 11: «Thessalus». — *Hæmonius*, cf. adn. supra ad I. 14, 40: «Hæmonia aqua».

V. 10. *inventis*, captis; abl. comp.

V. 11. *Nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma*, poeta ante oculos habuit Tib. I. 2, 97—98: «At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit Mens mea: quid messes uris, acerba, tuas?»

V. 13—14. *Quid iuvat in nudis hamata retundere tela Ossibus*, poeta respexit Prop. II. 12, 17—20. (ad Cupidinem): «Quid tibi iucundum est siccis habitare medullis? Si pudor est, alio traice tela tua. Intactos isto satius temptare veneno: Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea». — *hamata . . . tela*, ex Prop. II. 12, 9. (de Cupidine): «hamatis manus est armata sagittis». — *retundere*, hebetare. — *ossa mihi nuda reliquit amor*, cf. adn. supra ad I. 6, 5: «amor tales corpus tenuavit in usus?»

V. 15. *Hinc tibi cum magna laude triumphus eat*, de triumpho amoris cf. supra I. 2, 23. sqq. — *triumphus eat*, ducatur pompa triumphalis.

V. 17—18. *Roma . . . Stramineis esset nunc quoque tecta casis,* Romanos nunc quoque stramineæ casæ tegerent, i. e. Romani in casis stramineis habitarent; ex Prop. II. 16, 19-20: «Atque utinam Romæ nemo esset dives et ipse Straminea posset dux habitare casa». — *Stramineis,* stramine tectis.

V. 19—24. *Fessus in acceptos* etc., vss. 19—22. poeta ante oculos habuit Prop. II. 25, 5—9: «Miles depositis annosus secubat armis Grandævique negant ducere aratra boves, Putris et in vacua requiescit navis arena Et vetus in templo bellica parma vacat: At me ab amore tuo deducet nulla senectus». — *Fessus . . . miles,* veterani, emeriti milites. — *in acceptos miles deducitur agros,* colonia militaris deducitur in agros designatos, i. e. milites emeriti agros accipiunt ab imperatoribus, ut etiam Ovidii ætate post pugnas Philippensem et Actiacam. — *Mittitur in saltus carcere liber equus,* ex Ennii versibus apud Cic. De senect. 5. servatis: «Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit». — *carcere,* intellege carceres circi, unde certantes quadrigæ emittebantur. — *subductum,* proprie dicitur de navibus in siccum extractis. — *pinum,* navem ex pinu factam. — *Tutaque,* non periculosa. — *deposito poscitur ense rudis,* poeta respexit Hor. Ep. I. 1, 2-3: «Spectatum satis et donatum iam rude quæris, Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo?» Rudem, i. e. gladium ligneum accipiebant a dominis gladiatores emeriti, missionis signum. — *merui sub amore puellæ,* stipendia merui, ut miles; cf. supra I. 9, 43-44: «Impulit ignavum formosæ cura puellæ Iussit et in castris æra merere suis». — *Defunctum,* emeritum. — *placide,* in pace.

IX/*B*.

Lib. II. eleg. 9b.

V. 26. *dulce puella malumst,* cf. Prop. 25, 48: «Una sit et cuivis femina multa mala».

V. 27—28. *pertæsumst,* sc. amare. — *animoque relanguit*

ardor, ut supra I. 10, 9: «animique resanuit error». Cf. Liv. 35, 45, 5: «impetus relanguescit regis». — *miseræ turbine mentis agor*, poeta ante oculos habuit Tib. I. 5, 3: «Namque agor, ut per plana citus loca verbere turben», nisi quod apud Tibullum *turben βέμβικα* pueorum, hoc autem loco *turbo* venti verticem significat; cf. Bion. 4—5: *Ἦν δὲ νόον τις Ἔρωτι δονεύμενος ἀδὺ μελίσδῃ.*

V. 29—34. *Ut rapit in præceps dominum spumantia frustra Frena retentantem durior oris equus*, cf. Verg. Ge. I. 513—514: »frustra retinacula tendens Fertur equis auriga neque audit currus habenas». — *spumantia Frena*, cf. Verg. Aen. IV. 135: «Stat sonipes et frena ferox spumantia mandit». — *durior oris*, ad genitivi usum cf. Hor. Carm. I. 22, 1: «Integer vitæ». — *prensa tellure*, ex Verg. Aen. VI. 61: «Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras». — *in alta*, in altum mare. — *refert*, reducit ad amorem. — *incerta Cupidinis aura*, poeta ante oculos habuit Prop. II. 12, 5—8. (de Cupidine): «Idem non frustra ventosas addidit alas, Fecit et humano corde volare deum: Scilicet alterna quoniam iactamur in unda Nostraque non ullis permanet aura locis». — *purpureus . . . Amor*, ut supra II. 1, 38., ubi cf. adn.

V. 35—38. *Fige*, sc. sagittis; cf. Prop. II. 13, 1—2: «Non tot Archæmeniis armatur Etrusca sagittis, Spicula quot nostro pectore fixit Amor». — *Hic tibi sunt vires*, in pectore meo figendo spectantur vires tuæ. — *facit*, valet, ut Ov. Her. 2, 39: «Per Venerem nimiumque mihi facientia tela»; cf. Quint. 6, 4, 8: «plurimum facit diligenter nosse causas», Sen. Ep. 36. 8: «adversus omnia tela, adversus omnium hostium genus facit mortem contemnere»; Pers. 2, 69: «Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?» — *iussæ*, imperio obtemperantes. — *veniunt . . . sponte*, i. e. non arcu missæ, sed ultro. — *præ me*, propter me, ut dicitur: præ lacrimis, præ mærore loqui non possum; eodem sensu supra II. 6, 29: «præ sermonis amore».

V. 40. *Sustinet*, potest.

V. 41—42. *quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago*, cf.

Verg. Aen. VI. 278: «consanguineus Leti Sopor»; Hom. Il. XIV. 231: *Ἐνθ' Ὕπνῳ ξύμβλητο, κασιγνήτῳ θανάτοιο.* — *Longa quiescendi tempora fata dabunt*, cf. Catull. 5, 5—6: «Nobis, cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda». — *fata*, mors.

V. 45—46. *iurgia nectat*, eadem verba in fine hexametri supra II. 2, 35. — *Sæpe fruar domina, sæpe repulsus eam*, poeta ante oculos habuit Prop. II. 3, 1—2: «Multa prius dominæ delicta queraris oportet, Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas». — *repulsus eas*, foribus puellæ repulsus abeas, ut infra III. 11, 9: «foribus tam sæpe repulsus»; cf. Prop. I. 5, 20: «exclusum quid sit abire domum».

V. 47—49. *privigne . . . vitricus*, ut supra I. 2, 24: «currum vitricus ipse dabit», ubi vide adn. — *Tu levis es multoque tuis ventosior alis*, Servius dicit ad Verg. Aen. I. 663: «alatus autem ideo est (Cupido), quia amantibus nec levius aliquid nec mutabilius invenitur». — *tuis ventosior alis*, ex Prop. II. 12, 5. (de Cupidine): «Idem non frustra ventosas addidit alas». — *ventosior*, mutabilior, fallacior.

V. 51. *pulchra cum matre*, Venere, ut supra I. 6, 11: «Risit, ut audirem, tenera cum matre Cupido».

V. 53. *vaga turba*, mutabilis, infidelis, in amore huc illuc errans; cf. Martial. VI. 21, 6: «Legitimas isset cum vagus ante domos»; Senec. Herc. Oet. 365: «Quot virgines dilexit! Erravit vagus».

X.

Lib. II. eleg. 10.

Poeta duas se puellas uno tempore amare affirmat. Ante oculos habuit Prop. II. 22, 35—42:

> Aspice, uti cælo modo sol, modo luna ministret:
> Sic etiam nobis una puella parum est.
> Altera me cupidis teneat foveatve lacertis,
> Altera si quando non sinit esse locum,

Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navim,
Tutius et geminos anxia mater alit.

Ex eodem Propertii carmine plura quoque sumpsit poeta, ut infra in adnotationibus docebimus. Præterea comparari possunt Anth. Pal. XII. 88, 89. et 91.

V. 1—4. *Græcine,* C. Pomponius Græcinus, Ovidii amicus, a. p. Chr. n. 16. consul suffectus, ad quem scriptæ sunt etiam Pont. I. 6; II. 6; IV. 9. — *Uno posse aliquem tempore amare duas,* quæstionem etiam in poesi erotica Græcorum tractatam fuisse docemur Aristæn. Epist. II. 11: *ἐβουλόμην, εἴπερ οἷόν τε ἦν, τοὺς ἐρωτικοὺς ἅπαντας διερωτῆσαι καθ' ἕκαστον, εἴ τις αὐτῶν ἐπαμφοτερίζων ὑφ' ἕνα καιρὸν δυοῖν περιπέπτωκε φίλτροις.* — *per te deprensus inermis,* quia verbis tuis confidens non satis cautus fui adversus laqueos amoris duplicis. — *turpis,* pudet enim poetam duas amare.

V. 5—6. *operosæ cultibus ambæ,* utraque maxima cum cura se ornat. — *Artibus,* saltatione, cantu et ceteris artibus, quibus puellæ viros capiunt; cf. Prop. I. 3, 13. (de Cynthia): «multis decus artibus» et II. 3, 17—22. (de eadem): «quod posito formose saltat Iaccho, Egit ut euhantes dux Ariadna choros, Et quantum Aeolio cum temptat carmina plectro, Par Aganippeæ ludere docta lyræ, Et sua cum antiquæ conmittit scripta Corinnæ». De talibus artibus agitur Ov. A. A. III. 315. sqq.

V. 9. *Errant ut ventis discordibus acta phaselos,* eandem similitudinem in eadem re iam in Græca poesi occurrisse docemur Aristæn. Epist. II. 11: *ἔοικα γοῦν χυβερνήτῃ ὑπὸ δυοῖν πνευμάτων ἀπειλημμένῳ, τοῦ μὲν ἔνθεν τοῦ δὲ ἔνθεν ἑστηκότος καὶ περὶ τῆς νεῶς μαχομένων, ἐπὶ τἀναντία μὲν τὴν θάλασσαν ὠθούντων, ἐπ' ἀμφότερα δὲ τὴν μίαν ναῦν ἐλαυνόντων.* — *phaselos,* genus navis parvæ.

V. 11—12. *Erycina,* Venus ab Eryce, monte et oppido Si-

ciliæ, ubi templum celeberrimum Veneris fuit; cf. Hor. Carm. I. 2, 33—34: «Erycina ridens, Quam locus circum volat et Cupido.» — *Non erat in curas una puella satis,* ex Prop. II. 25, 47—48: «Cum satis una tuis insomnia portet ocellis, Una sit et cuivis femina multa mala.»

V. 15—18. *iacerem,* contemptus essem puellis; cf. adn. supra ad II. 2, 30: «iacent.» — *Hostibus eveniat vita severa meis,* poeta ante oculos habuit Prop. III. 8, 20: «Hostibus eveniat lenta puella meis»; cf. Ov. Her. 16, 219: «Hostibus eveniant convivia talia nostris.» — *severa,* cf. adn. supra ad II. 1, 3: «severi.» — *viduo dormire cubili Et medio laxe ponere membra toro,* cf. Prop. II. 17, 3—4: «quotiens desertus amaras Explevi noctes fractus utroque toro.»

V. 21—23. *disperdat,* perdat; significantius dictum, ut sæpe *dispereo* occurrit pro *pereo.* — *si minus una, duæ,* cf. Prop. II. 22, 31: «nobis una puella parum est.» — *graciles, non sunt sine viribus artus,* ex Prop. II. 22, 21—22: «Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus, Falleris: haud umquam est culta labore Venus» et ex Tib. II. 3, 9. (poeta de se): «Nec quererer, quod sol graciles exureret artus.» Cf. etiam adn. supra ad I. 6, 5: «amor tales corpus tenuavit in usus.»

V. 25—28. *Et lateri dabit in vires alimenta voluptas,* ex Prop. III. 21, 4: «Ipse alimenta sibi maxima præbet amor» et II. 22, 28: «Nullus amor vires eripit ipse suas.» — *lateri,* i. e. lumbo; cf. adn. ad I. 8, 48. — *Decepta est opera nulla puella mea,* ex Prop. II. 22, 23—24: «Percontere licet: sæpe est experta puella Officium tota nocte valere meum.» — *opera... mea,* sensu obsceno, ut infra vs. 36. *opus.* — *Sæpe ego lascive consumpsi tempora noctis: Utilis et forti corpore mane fui,* poeta respexit Prop. II. 22, 25—27: «Iuppiter Alcmenæ geminas requieverat arctos Et cælum noctu bis sine rege fuit: Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.»

V. 29—34. *Veneris certamina mutua,* sensu obsceno, ut Prop. III. 8, 32. (de Paride): «Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.» — *Di faciant,* ut Prop. III. 16, 25: «Di faciant,

mea ne terra locet ossa frequenti.» — *Induat . . . pectora telis*, i. e. pectus telis hostilibus contegi sinat. — *contraria pectora*, pectus opponens adversis telis. — *æternum sanguine nomen emat*, cf. Hor. Carm. III. 14, 2: «Morte venalem petiisse laurum» et Aeschin. Ctes. 160: *αἵματός ἐστιν ἡ ἀρετὴ ὠνία*. — *avarus*, sc. mercator avarus. — *lassarit*, sine fine navigando; cf. Verg. Aen. IX. 602: «Venatu invigilant pueri silvasque fatigant.» — *arando Aequora*, nave secando; ex Verg. Aen. III. 495: «nullum maris æquor arandum.» — *Aequora periuro naufragus ore bibat*, ut Prop. II. 24, 27: «naufragus ebibat undas.» — *periuro . . . ore*, fallaci; agitur enim de mercatore. Cf. preces mercatoris Ov. Fast. V. 680—682: «peragit solita fallere voce preces: «Ablue præteriti periuria temporis — inquit — Ablue præteritae perfida verba die.»

V. 35—36. *Veneris . . . motu*, sensu obsceno, ut supra I. 10, 35—36: «voluptas, Quam socio motu femina virque ferunt». — *Cum moriar, medium solvar et inter opus*, cf. versus Philetæri apud Athen. XIII. 570: *οὐχ οἶσθ' ὅτι Ἅδιστόν ἐστιν ἀποθανεῖν βινοῦνθ' ἅμα, Ὥσπερ λέγουσιν ἀποθανεῖν Φορμίσιον* et ibid. XIII. 587: *Οὐχὶ Λαΐς μὲν τελευτῶσ' ἀπέθανεν βινουμένη;* — *opus*, sensu obsceno; cf. supra adn. ad I. 4, 48: «dulce opus.»

XI.

Lib. II. eleg. 11.

Propertius scripsit elegiam (I. 8.) ad Cynthiam, cum ea cum prætore quodam in Illyriam proficisci vellet. Ovidius exemplum magistri secutus scripsit propempticon ad Corinnam lege artis compositum, in quo etiam Horatii ad Vergilium propempticon (Carm. I. 3.) ante oculos habuit.

V. 1—4. *Prima malas docuit . . . vias*, primum Argo docuit homines navigare. De Argo, prima nave cf. supra adn. ad I.

15, 21: «primamque ratem.» — *malas . . . vias,* scelestas, quia homo navigans audacia sua et superbia provocat iram deorum; cf. Hor. Carm. I. 2, 21- 26: «Nequiquam deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras, si tamen *impiæ* Non tangenda *rates* transiliunt vada. Audax omnia perpeti Gens humana ruit per *vetitum nefas.*» - *docuit,* supple: homines; eadem ellipsis infra III. 10, 11: «Prima Ceres docuit turgescere semen in agris.» — *Peliaco pinus vertice cæsa,* ex Catull. 64, 1: «Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.» Cf. Ov. Her. 12, 9—10: «cur umquam iuvenalibus acta lacertis Phrixeam petiit Pelias arbor ovem?» — *Peliaco . . . vertice,* in monte Pelio, in Thessalia; Argonautæ enim profecti sunt ex urbe Thessaliæ Iolco. — *pinus,* ex qua navis facta est; cf. supra II. 9, 21: «pinum» et adn. ad h. l. - *concurrentis inter . . . cautes, κυανέαι πέτραι* sive Symplegades ad Bosporum Thracium, inter quas Argo transiit; cf. Plin. N. H. IV. 92: «Cyaneæ ab aliis Symplegades appellatæ traditæque fabulis inter se concucurrisse.» — *temeraria,* audax. — *Conspicuam,* conspiciendam; cf. adn. supra ad II. 4, 42: «conspicienda.» - *fulvo vellere . . . ovem,* lanam auream.

V. 5- 7. *freta longa,* mare magnum, quod longe lateque extenditur; eodem sensu Prop. II. 26, 29: «mare per longum mea cogitet ire puella.» — *pressa,* demersa. — *sociosque Penates,* communem domum; poeta Corinnam secum habitasse. fingit.

V. 9—10. *Quam tibi, me miserum, Zephyros Eurosque timebo,* ut Prop. II. 26, 7: «Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet» de Cynthia. — *Quam,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Et gelidum Borean egelidumque Notum,* de hoc versu ludibundo cf. Senec. Controv. II. 2, 12: «Verbis minime licenter usus est (Ovidius) nisi in carminibus, in quibus non ignoravit vitia sua, sed amavit. Manifestum potest esse, quod rogatus aliquando ab amicis suis, ut tolleret tres versus, invicem petiit, ut ipse tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Aequa lex visa est; scripserant illi, quos tolli vel-

lent, secreto, hic, quos tutos esse vellet: in utrisque codicillis idem versus erant, ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit: «Semibovemque virum semivirumque bovem» (A. A. II. 24.), secundum: «Et gelidum Borean egelidumque Notum.» Ex quo apparet summi ingenii viro non iudicium defuisse ad compescendam licentiam carminum, sed animum. Aiebat interim decentiorem faciem esse, in qua aliquis nævus fuisset». — *egelidum,* tepidum; cf. Catull. 46, 1: «Iam ver egelidos refert tepores.»

V. 15—16. *iniusti,* violenti. — *Nec medius tenuis conchas pictosque lapillos Pontus habet: bibuli litoris illa mora est,* poeta ante oculos habuit Lucret. II. 374—376: «Concharumque genus parili ratione videmus Pingere telluris gremium, qua mollibus undis Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam» et Prop. I. 2, 13: «Litora nativis *persuadent* picta lapillis.» — *bibuli litoris illa mora est,* quia litus his invitat homines ad morandum; his moratur et delectat eos, unde *persuadent* apud Prop. l. l. — *bibuli litoris,* quia arena in litore imbibit aquam maris. — *marmoreis pedibus,* candidis. — *signate,* i. e. vestigia ibi ponite. — *cæca via est,* incerta.

V. 18—20. *Scylla,* cf. adn. infra ad II. 16, 23. — *infestet,* periculosas facit. — *Charybdis,* cf. adn. infra ad II. 16, 25. — *violenta Ceraunia, ὄρη Κεραυνία* sive promunturium Acroceraunium in litore Epiri apud Oricum, periculosum navigantibus propter saxa; poeta ante oculos habuit Prop. I. 8, 19. (ad Cynthiam): «felici prævecta Ceraunia remo» et Hor. Carm. I. 3, 20: «Infamis scopulos Acroceraunia.» — *emineant,* sc. ex mari. — *violenta,* quia naves frangunt. — *Syrtes magna minorque,* ita nominantur duo sinus maris in Africa septentrionali, nautis periculosi propter æstus et vada; cf. Hor. Carm. II. 6, 3—4: «barbaras Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda.»

V. 21. *alii referant,* narrent vobis.

V. 23. *fune soluto,* quo navis ad ripam alligatur; cf. Prop. I. 8, 11: «Nec tibi Tyrrhena solvatur navis arena.»

V. 25. *qua,* ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 27—32. *Triton exasperet undas,* secundum Hesiodum Neptuni et Amphitrites filius, deus maris, qui bucina ex concha facta iussu Neptuni undas excitare et revocare solet; cf. Ov. Met. I. 333. sqq. — *nullus . . . color,* pallor; cf. Hor. Epod. 10, 15—16: «O quantus instat navitis sudor tuis Tibique pallor luteus.» — *generosa voces fecundæ sidera Ledæ,* Castor et Pollux, gemini Ledæ, qui in sidus Geminorum mutati nautas præcipue tuentur. — *generosa,* quia Iovis filii sunt. — *fecundæ,* quia geminos peperit. — *Ledæ,* cf. adn. supra ad I. 3, 22: «Et quam fluminea lusit adulter ave.» — *sua terra,* poeta ante oculos habuit Prop. III. 7, 34: «Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?» — *Tutius est fovisse torum, legisse libellos, Threiciam digitis increpuisse lyram,* similis locus Ov. Her. 3, 117—118: «Tutius est iacuisse toro, tenuisse puellam, Threiciam digitis increpuisse lyram.» — *fovisse torum,* iacere in lecto. — *Threiciam . . . lyram,* quia Thrax erat Orpheus, citharoedus celeberrimus; cf. Verg. Aen. VI. 119—120: «Orpheus Threicia fretus cithara fidibusque canoris.» — *digitis increpuisse lyram,* digitis pulsando excitare sonum lyræ, ut Ov. Her. 3, 118. et Fast. VI. 812.

V. 33—36. *si vana ferunt volucres mea dicta procellæ,* ut supra I. 8, 106: «Nec tulerint voces ventus et unda meas», ubi cf. adn. — *Aequa tamen puppi sit Galatea tuæ,* ex Prop. I. 8, 18: «Sit Galatea tuæ non aliena viæ». — *Galatea,* filia Nerei et Doridis celeberrima, dea maris. — *Vestrum crimen erit talis iactura puellæ, Nereides,* ex Prop. III. 7, 67—69. (de Pæto naufrago): «O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ, Et tu, materno tacta dolore Thetis, Vos decuit lasso supponere bracchia mento.» — *Nereidesque deæ,* marinæ deæ, Nerei et Doridis filiæ.

V. 38—39. *tuos . . . sinus,* velorum sinus intellege, ut Tib. I. 3, 38. (de nave): «Effusum ventis præbueratque sinum.» — *mare in haec . . . proclinet litora,* undas ad hæc litora agat.

V. 41. *Zephyri,* venti modici, non periculosi.

V. 44—48. *nostros advehit illa deos,* antiqui enim simulacra deorum, quorum tutelæ navem commendabant, affigebant puppi vocabantque *tutelam.* — *nostros,* mihi propitios; cf. Ov. Her. 12, 87: «Sed mihi tam faciles unde meosque deos?» Contrarium dicit Lygd. 3, 27—28: «At si, pro dulci reditu quæcumque voventur, Audiat aversa non meus aure deus.» — *Excipiamque umeris,* sc. ut te e nave per vadum ad litus feram. — *pro reditu victima vota cadet,* ut Hor. Ep. I. 3, 36: «Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.» — *Inque tori formam molles sternentur harenæ Et tumulus mensæ quilibet instar erit,* sc. in litore, ut convivium celebretur; cf. Tib. II. 5, 99—100: «At sibi quisque dapes et festas extruet alte Cæspitibus mensas cæspitibusque torum.»

V. 49. *adposito . . . Lyæo,* in convivio; cf. Prop. II. 3, 17: «posito formose saltat Iaccho.» — *Lyæo,* vino; Lyæus est enim cognomen Bacchi curas solventis.

V. 52. *Nec te præcipites extimuisse Notos,* ex Hor. Carm. I. 3, 12: «nec timuit præcipitem Africum.»

V. 55—56. *Hæc mihi quamprimum cælo nitidissimus alto Lucifer admisso tempora portet equo,* ex Tib. I. 3, 93—94: «hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis.» — *Lucifer admisso . . . equo,* de curru Luciferi cf. adn. supra ad I. 6, 65: «Iamque pruinosos molitur Lucifer axes.»

XII.

Lib. II. eleg. 12.

Carmen triumphale amantis felicis. Initio elegiæ poeta ante oculos habuit Prop. II. 14., sed in ceteris discessit a magistro: Propertius enim narrat, quomodo Cynthia potitus sit, Ovidius autem amorem cum militia copiose comparat, ut supra I. 9.

V. 1—4. *Ite triumphales circum mea tempora laurus! Vicimus: in nostro est, ecce, Corinna sinu,* poeta respexit Prop.

II. 14, 1. et 9.: «Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est . . . Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.» — *triumphales circum mea tempora laurus,* ex Tib. II. 5, 5: «triumphali devinctus tempora lauro»; cf. Verg. Ecl. 8, 12—13: «sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere laurus.» - *triumphales . . . laurus,* quas gerebant triumphatores Romani. - *vir,* coniunx. - *custos,* cf. supra II. 2. et 3. — *ianua firma,* cf. supra I. 6. — *ab arte,* cf. adn. supra ad II. 4, 30: «ab arte.»

V. 6. *sanguine præda caret,* sine cæde parta est; cf. infra vs. 27: «sine cæde.»

V. 9—13. *Pergama,* Troia. — *Ex tot,* sc. ducibus et militibus. — *Atridis,* Agamemnone et Menelao. — *seposita est,* mihi soli debetur. - *ab omni milite,* sc. gregario, ut etiam infra vs. 13. - *titulum muneris,* gloriam factorum. — *Me duce ad hanc voti finem, me milite veni,* ut Tib. I. 1, 75: «Hic (sc. in amore) ego dux milesque bonus.» — *ad . . . voti finem . . . veni,* votis (optatis) potitus sum. — *me milite,* sc. gregario.

V. 15—16. *casum,* fortuitum casum. — *Huc ades, o . . . Triumphe,* alloquitur Triumphum personificatum, ut deum.

V. 17—22. *Nec belli est nova causa mei,* est enim huius belli causa femina, ut etiam Troiani ceterorumque bellorum. - *nisi rapta fuisset Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret,* ex Prop. II. 3, 35—36: «Olim mirabur, quod tanti ad Pergama belli Europæ atque Asiæ causa puella fuit.» — *Tyndaris,* Helena, filia Tyndarei et Ledæ. — *Femina silvestris Lapithas populumque biformem Turpiter adposito vertit in arma mero,* poeta ante oculos habuit Prop. II. 2, 9—10: «Qualis et Ischomache, Lapithæ genus, heroine, Centauris posito grata rapina mero.» Ad rem cf. adn. supra ad I. 4, 7—8. — *silvestris Lapithas,* erant enim Lapithæ populus incultus et ferus, in montibus Thessaliæ circa Olympum et Pelium habitans; cf. supra adn. ad I. 4, 9: «Nec mihi silva domus» et Apul. Met. 4, 8: «semiferi Lapithæ.» — *populumque biformem,* Centauros; cf. supra I. 4, 8: «ambiguos viros.» - *Turpiter . . . vertit in arma,*

nam secundum Hor. Sat. I. 3, 107—108: «cunnus tæterrima belli Causa.» — *adposito . . . mero,* in convivio, ut supra I. 4, 7: «posito vino» et II. 11, 49: «adposito Lyæo.» — *Femina Troianos iterum nova bella movere Impulit,* ex Verg. Aen. VI. 93—94: «Causa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris Externique iterum thalami.» Agitur de Lavinia, regis Latini filia, pro qua Aeneas et Turnus certabant.

V. 23—28. *Femina Romanis etiam nunc Urbe recenti Immisit soceros,* agitur de raptu Sabinarum regnante Romulo. — *Urbe recenti,* abl. abs. — *soceros,* Sabinos, quorum filias Romani vi rapuerunt. — *Vidi ego pro nivea pugnantes coniuge tauros: Spectatrix animos ipsa iuvenca dabat,* poeta respexit Verg. Ge. III. 219—220: «Pascitur in magna Sila formosa iuvenca: Illi (sc. tauri) alternantes multa vi proelia miscent.» — *sine cæde,* ut supra vs. 6: «sanguine præda caret.» — *signa movere,* sc. ad pugnam committendam.

XIII.

Lib. II. eleg. 13.

Morbum amicæ narraverunt Tib. I. 5, 8—18. et Prop. II. 28., quorum exemplum secutus est Ovidius hac elegia, sed rem in obscenum detorquens Corinnam fetum ventris abegisse et ob id ipsum ægrotare fingit. Fortasse hoc quoque ex nova Atticorum comœdia sumpsit, ubi sæpe agebatur de meretricibus parturientibus, partum simulantibus, pueros supponentibus etc.

Cum hac elegia artissime cohæret sequens.

V. 1—2. *onus,* de fetu uteri, ut infra vs. 20. — *lassa,* languida, ægrota; cf. Tib. (Sulp.) IV. 11, 2: «Quod mea nunc vexat corpora *fessa* calor.»

V. 7—10. *Isi,* cf. adn. supra ad I. 8, 74: «Isis» et Ov. Met.

IX. 773 774: «Isi, Parætonium Mareoticaque arva Pharonque Quæ colis.» - - *Parœtonium*, urbs Libyæ Aegyptiæ. — *genialiaque arva Canopi*, oppidum Aegypti haud procul ab Alexandria situm, luxuria celeberrimum. - *genialia*, læta; nam Genio acceptissima est hibaritas, quare ii, qui vitæ gaudiis fruebantur, *indulgere Genio*, contra morosi et parci *Genium fraudare* dicebantur. Erat autem Canopus luxuria dissolutisque moribus infamis. Strabo XVII. p. 801. de Canopo scribens commemorat ἐσχάτην ἀχολασίαν καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, Iuven. 15, 46. de «famoso Canopo» loquitur. Seneca cum Baiis Canopum comparat Epist. 51, 3: «(sapiens) de secessu cogitans numquam Canopum eleget, quamvis neminem Canopus esse frugi vetat, ne Baias quidem.» — *Memphin*, caput Aegypti inferioris. — *Pharon*, insula parva ad Alexandriam sita. Isis sæpe vocatur Pharia, ut Ov. A. A. III. 635., Fast. V. 619; Min. Fel. 21, 2. Etiam Tibullus I. 3, 32. «turbam Phariam» vocat Isidis sacerdotes et cultores. - - *celer Nilus*, celer in cursu superiore, ubi cataractæ sunt. Cf. Plin. V. 54. - *alveo*, duæ syllabæ per synizesin, ut Verg. Aen. VI. 190. - - *Per septem portus*, ostia, ut Ov. Her. 14, 107: «Per septem Nilus portus emissus in æquor.»

V. 11— 14. *tua sistra*, in sacris Isidis usitata, quæ sacerdotes et cultores deæ ad certos modos quassare solebant. Sonitum edebant virgæ æreæ mobiles; vide figuram apud *Rich:* Illustr. Wörterb. s. v. Formam sistri copiose describit Plutarch. De Iside 63. (Mor. 376. c.) - - *Anubidis ora*, Anubis, deus Aegyptius, comes Isidis et Osiridis, caput caninum habebat, unde Verg. Aen. VIII. 698: «latrator Anubis.» — *Sic tua sacra pius semper Osiris amet*, adsit sacris; nam festis Isidis etiam Osiris, coniunx Isidis, celebrabatur. - - *labatur circa donaria serpens*, bonum omen erat, cum serpens sacer dapes in ara gustavit; poeta ante oculos habuit Verg. Aen. V. 83—86. (de sepulcro Anchisæ): «adytis cum lubricus anguis ab imis Septem ingens gyros, septena volumina traxit Amplexus placide tumulum lapsusque per aras» et ibid. 91—93: «Tandem inter pate-

ras et levia pocula serpens Libavitque dapes rursusque innoxius imo Successit tumulo et depasta altaria liquit.» — *circa donaria,* ara, ubi sacra dona ponebantur; eodem sensu Ov. Fast. III. 335: «Si tua contigimus manibus donaria puris.» — *serpens,* Isidis serpens sacer. Ov. Met. IX. 694. inter comites Isidis affertur: «Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.» Imaginem serpentis in æde Isidis commemorat Iuv. 6, 538: «Et movisse caput visa est argentea serpens.» Ceterum serpentes sacri erant in templis multorum deorum. — *in pompa,* sc. festis Isidis in sollemni pompa. — *corniger Apis,* simulacrum tauri sacri, quem Aegyptii venerabantur.

V. 15—18. *adhibe vultus,* converte vultus, ut supra II. 1, 37. — *in una parce duobus! Nam vitam dominæ tu dabis, illa mihi,* ex Tib. IV. 4, 19—20: «Phœbe, fave: laus magna tibi tribuetur in uno Corpore servato restituisse duos» et Prop. II. 28, 41—42: «Si non unius, quæso, miserere duorum: Vivam, si vivet, si cadet illa, cadam.» Cf. Ov. Her. 20, 236: «Quid dubitas unam ferre duobus opem?» — *tibi sedit . . . operata,* sedit tibi serviens; *sedit,* sc. humi, ut supplicantes vulgo solebant, unde Tib. I. 3, 30. (de Isidis templo): «Ante sacras lino tecta fores sedeat» et Prop. II. 28, 45. (de Iove): «Ante tuosque pedes illa ipsa operata sedebit.» Cf. Ov. A. A. III. 635: «Cum sedeat Phariæ sistris operata iuvencæ.» — *certis . . . diebus,* festis Isidis. — *operata,* proprie dicitur de iis, qui rem sacram peragunt. — *Qua tangit laurus Gallica turma tuas,* ubi ædi tuæ laureto circumdatæ vicina est turma iuvenum Romanorum in equis Gallicis equitantium. Agitur enim de æde Isidis celeberrima in campo Martio, de qua Iuv. 6, 528—529: «in æde Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili» i. e. sæptis in campo Martio, ubi comitia habebantur. In campo autem Martio equitando se exercebant iuvenes Romani, qui plerumque utebantur equis Gallicis; poeta ante oculos habuit Hor. Carm. I. 8, 4—7. (de Sybari iuvene): «cur apricum Oderit campum patiens pulveris atque solis? Cur neque militaris Inter æqualis equitat, *Gallica* nec lupatis Temperat *ora* frenis?»

ubi *Gallica ora* equos Gallicos significant, de quibus Strab. IV. 196: ἔστι Ῥωμαίοις τῆς ἱππείας ἀρίστη παρὰ τούτων. — *tangit*, vicina est; ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. - *laurus . . . tuas*, hortum Isidis lauris consitum; cf. Iuv. 6, 488- 489. (de muliere adultera): «iamque exspectatur in *hortis* Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ», ubi *horti* referendi sunt ad hortos circa templa, ut Schol. ad h. l. docemur: «quia in hortis templorum adulteria committunt.»

V. 19- 22. *laborantes utero miserata puellas*, ex Hor. Carm. III. 22, 2- 3. (de Diana): «Quæ laborantes utero puellas Ter vocata audis». — *tarda . . . corpora*, onere ventris tardata. — *Lenis ades precibusque meis fave, Ilithyia*, ex Hor. Carm. sæc. 13 - 14: «Rite maturos aperire partus Lenis, Ilithyia, tuere matres.» - *Ilithyia*, dea Græca partus, quam Romani cum Lucina sua confundebant; cf. Hor. Carm. sæc. 13- 16: «Ilithyia . . . Sive tu Lucina probas vocari Seu Genitalis.» — *quam iubeas muneris esse tui*, quæ salutem tibi debeat.

V. 23- 25. *candidus*, alba veste utebantur, qui ad sacra accedebant; cf. Tib. II. 1, 15 16: «Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras Vinctaque post olea candida turba comas» et Plaut Rud. I. 5, 11: «æquius vos erat Candidatas venire hostiatasque ad hoc Fanum: ad istum modum non veniri solet.» — *munera vota*, dona sacra ex voto debita, *ἀναθήματα*. — *titulum*, inscriptionem. - *servata Naso Corinna*, supple: hæc dedicat.

V. 28. *tibi*, Corinnam alloquitur. — *pugna*, hoc nomine notat Corinnæ scelus, quia fetum abigens se vulneravit; cf. infra II. 14, 3: «suis patiuntur vulnera telis», ibid. 8: «Sternetur pugnæ tristis harena tuæ», ibid. 27: «Vestra quid effoditis subiectis viscera telis?»

XIV.

Lib. II. eleg. 14.

Invectiva in Corinnam, quod fetum abegerit, et in matres crudeles Corinnæ similes.

V. 1—4. *cessare,* quiescere. — *Nec fera peltatas agmina velle sequi,* ut olim Amazones; ex Verg. Aen. I. 490—491: «Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.» Cf. Ov. Her. 21, 119: «Non ego constiteram sumpta peltata securi.» — *peltatas,* peltis instructas; peltæ erant scuta parva in formam lunæ dimidiatæ facta, qualia gestabant Amazones. — *sine Marte,* bello. — *suis patiuntur vulnera telis,* alludit ad modum fetus abigendi, qui fit per fetus perforationem. — *cæcas,* temerarias. — *in sua fata manus,* cf. supra I. 6, 14: «Nec timeo strictas in mea fata manus.» — *fata,* mortem.

V. 5—8. *convellere,* dilacerare; alludit ad perforationem fetus, ut supra vs. 3. — *Militia,* hoc scelus cum pugna comparat, ut supra II. 13, 28. — *careat rugarum crimine venter,* cf. adn. supra ad I. 5, 21: «planus venter.» — *Sternetur pugnæ tristis harena tuæ,* ad pugnam te parabis; *pugna* eodem sensu, quo supra II. 13, 28. — *Sternetur . . . tristis harena,* ut in amphitheatro, ubi gladiatores pugnant; cf. Ov. A. A. I. 164: «Sparsaque sollicito tristis harena foro.»

V. 10—12. *vitio,* propter hoc scelus. — *deperitura fuit,* fuisset. — *Quique . . . iaceret . . . lapides,* ut post diluvium Deucalion et Pyrrha fecerunt. — *generis primordia nostri . . . lapides,* quia ex lapidibus a Deucalione et Pyrrha post tergum iactis homines orti sunt. — *In vacuo . . . orbe,* quia diluvio omnes præter Deucalionem et Pyrrham homines perierunt. — *parandus erat,* esset.

V. 13—18. *numen aquarum . . . Thetis,* filia Nerei, dei marini, mater Achillis. — *Iusta . . . pondera,* quæ mulier ferre

debet; cf. Ov. Her. 16, 44: «gravidus iusto pondere venter erat.» *Ilia,* sive Rhea Silvia, mater Romuli et Remi. — *Casurus,* occasurus. *dominæ,* quia Roma erat domina orbis terrarum; cf. Ov. Fast. IV. 831. (de Roma): «Longa sit huic ætas dominæque potentia terræ.» — *temerasset,* læsisset. — *Cæsaribus,* quia ab Aeneæ filio, Iulo, originem ducebat gens Iulia.

V. 21. *melius periturus amando,* cf. supra II. 10, 21: «Me mea disperdat nullo prohibente puella.»

V. 23—26. *Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis Pomaque crudeli vellis acerba manu,* ex Lygd. 5, 19—20: «Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis Et modo nata mala vellere poma manu?» — *Pomaque . . . acerba,* immatura. — *fluant matura,* decidant ab arbore poma matura, ut infra III. 2, 14: «Deque meis manibus lora remissa fluent» et III. 7, 33—34: «uva Decidit et nullo poma movente fluunt.» Cf. Tib. I. 10, 68: «Profluat et pomis candidus ante sinus.» — *vita.* fetus vivus.

V. 27—32. *Vestra . . . viscera,* vestrum fetum; cf. Ov. Her. 11, 118. (Canace de nato suo feris obiecto): «Diripiunt avidæ viscera nostra feræ.» — *effoditis subiectis . . . telis,* cf. adn. supra ad vs. 3: «suis patiuntur vulnera telis.» — *dira venena datis,* alludit ad modum fetus abigendi, qui fit per potionem diversorum medicamentorum. — *Colchida,* Medeam, filiam Aeetæ, regis Colchorum, uxorem Iasonis, quæ infidelitatem mariti cæde liberorum ulta est. — *sua cæsum matre . . . Ityn,* cf. adn. supra ad II. 6, 7: «Quod scelus Ismarii.» — *sua . . . matre,* de usu ablativi cf. adn. supra ad I. 15, 38: «sollicito amante.» — *Utraque sæva parens,* cf. Verg. Ecl. 8, 47—48. (de Medea): «Sævus Amor docuit natorum sanguine matrem Commaculare manus: crudelis tu quoque mater.» — *Iactura socii sanguinis,* morte liberorum communium.

V. 34—36. *Figere,* sc. telis. — *Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris, Perdere nec fetus ausa leæna suos,* ex Lygd. 6, 15—16: «Armenias tigres et fulvas ille leænas Vicit.»

V. 39—40. *ferturque rogo,* dativus: ad rogum; cf. Prop. IV. 3, 72: «Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ.» *resoluta capillos,* mortuorum capilli solvebantur, ut etiam lugentium. Portabantur autem mortui in lecto funebri aperto per urbem.

V. 41—44. *Ista sed ætherias vanescant dicta per auras,* i. e. quæ de morte dixi, irrita sint; ex Catull. 30, 9—10: «tua dicta omnia factaque Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis» et Lygd. 6, 27—28: «venti temeraria vota Aeriæ et nubes diripienda ferant.» — *sint ominibus pondera nulla meis,* quia ipsa mortis mentio malum omen continet, quod est averruncandum; cf. supra I. 14, 41: «procul omen abesto» et adn. ad h. l. — *Di faciles, peccasse semel concedite tuto,* ex Tib. I. 9, 5—6: «æquum est impune licere Numina formosis lædere vestra semel.» — *faciles,* clementes. — *Et satis est,* supple: si semel peccasse conceditis. — *pœnam culpa secunda ferat,* si iterum peccet, puniatur.

XV.

Lib. II. eleg. 15.

Poeta anulum mittit puellæ, sed ipse quoque fieri velit anulus, ut semper cum domina esse possit. Comparari possunt incertorum auctorum epigrammata Anth. Pal. V. 83:

Εἴθ' ἄνεμος γενόμην, σὺ δὲ δὴ στείχουσα παρ' αὐγάς
Στήθεα γυμνώσαις καί με πνέοντα λάβοις

et Anth. Pal. V. 84:

Εἴθε ῥόδον γενόμην ὑποπόρφυρον, ὄφρα με χερσὶν
Ἁρσαμένη χαρίσῃ στήθεσι χιονέοις.

V. 2. *censendum,* æstimandum.

V. 3. *eas,* sc. ad dominam.

V. 5—6. *convenias,* sc. digito. — *iusto ... orbe,* convenienti.

V. 10—12. *Aeæe,* Circes, quæ socios Ulixis in bestias mutavit. Circe enim habitabat in insula Aeæa (cf. Od. X. 135: *Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφίκομεθ'*). Cf. Verg. Aen. III. 386: «Aeæe-

que insula Circæ» et Prop. II. 32, 4: «Aeæi Telegoni», quia Telegonus erat filius Circes. — *Carpathiive senis,* Protei, pastoris phocarum Neptuni, qui se in formas diversissimas mutare poterat. Poeta ante oculos habuit Verg. Ge. IV. 387—388: «Est in Carpathio Neptuni gurgite vates, Cæruleus Proteus.» — *Carpathiive,* qui mare Carpathium colit; cf. adn. supra ad II. 8, 20: «Carpathium mare.» — *si cupiam dominæ tetigisse papillas Et lævam tunicis inseruisse manum,* ut supra I. 4, 37: «Nec sinus admittat digitos habilesve papillæ.» — *si,* scripsi cum Merkelio; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *lævam ... manum,* lævæ manus in rebus Venereis usus sæpius commemoratur; cf. Ov. A. A. II. 706: «Nec manus in lecto læva iacebit iners» et Martial. XI. 73, 3: «Cum frustra iacui longa prurigine tentus, Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.» Quare Martial. XI. 22, 4. sinistram appellat *manum fututricem.*

V. 14. *ab arte,* cf. adn. supra ad I. 4, 30: «ab arte.»

V. 15—16. *signare,* sc. signo cereo; est igitur donum poetæ anulus signatorius. — *tabellas,* sc. ceratas; cf. adn. supra ad I. 11, 7: «tabellas.» — *tenax,* lente adhærens. — *ceram,* qua tabellæ obsignabantur.

V. 18—20. *scripta dolenda mihi,* i. e. litteras alteri amatori missas. — *Si trahar,* i. e. si me digito detrahere volet amica. — *trahar,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *loculis,* dactyliotheca. — *Adstringens,* comprimens.

V. 23—25. *cum calidis perfunderis imbribus artus,* in balneo. — *perfunderis,* correxit Heinsius; cod. Parisinus et Sangallensis habent: *perfundis,* alii codices *perfundes.* — *Damnaque sub gemmam perfer euntis aquæ,* fer damnum, quo anulum adficit aqua sub gemmam iens, quæ nitorem gemmæ corrumpit. Paucæ enim gemmæ sunt, quæ non hebetantur umore suffuso; cf. Plin. N. H. XXXVII. 106. de sarda: «Nec fuit alia gemma apud antiquos usu frequentior ... nec ullæ tralucentium tardius subfusæ umore hebetantur.» — *gemmam,* ex coniectura Luciani Mueller; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 28. *Illa datam tecum sentiat esse fidem,* i. e. anulus sit

pignus fidei meæ; cf. Prop. II. 17, 18: «Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.»

XVI.

Lib. II. eleg. 16.

Poeta Sulmone moratur, in terra natali, sed sine amica amœnitate regionis frui nequit.

V. 1—2. *Pars... Sulmo... Pœligni tertia ruris,* Sulmone in Pælignis natus est Ovidius; cf. adn. supra ad II. 1, 1: «Pælignis natus aquosis.» Terra autem Pælignorum in tres partes erat divisa. — *Parva, sed inriguis ora salubris aquis,* cf. Ov. Fast. IV. 685—686: «Hac ego Pælignos, natalia rura, petebam, Parva sed assiduis uvida semper aquis» et Trist. IV. 10, 3: «Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis.» — *Parva... ora,* i. e. ager Sulmonensis erat parvus. — *inriguis... aquis,* unde supra II. 1, 1: «Pælignis natus aquosis» et infra III. 15, 11: «Sulmonis aquosi.»

V. 3—4. *Sol... admoto... sidere,* i. e. terris propiore sidere, ut Tib. II. 3, 56: «Solis et admotis inficit ignis equis.» Cf. Tib. IV. 1, 159. (de sole æstivo): «Seu propior terris æstivum fertur in orbem.» — *tellurem... findat,* quod fit æstate; cf. Tib. I. 7, 21: «arentes cum findit Sirius agros» et Carm. Priap. 63, 2—3: «Agente terra per Caniculam rimas.» — *sidere,* de sole, ut Tib. II. 1, 47—48: «calidi cum sideris æstu Deponit flavas annua terra comas.» — *Icarii stella proterva Canis,* stella Caniculæ sive Sirius, de quo Plin. N. H. II. 128: «Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV. ante Aug. Kalendas est.» — *Icarii... canis,* cf. Hygin. Fab. 130: «Cum Liber pater ad homines esset profectus, ut suorum fructuum suavitatem atque iucunditatem ostenderet, ad Icarium et Erigonam in hospitium liberale devenit. Iis utrem plenum vini muneri dedit iussitque, ut in reliquas terras propagarent. Icarius plaustro onerato cum Erigone filia et *cane Mœra* in terram

Atticam ad pastores devenit et genus suavitatis ostendit. Pastores cum immoderatius biberent, ebrii facti conciderant, qui arbitrantes Icarium sibi malum medicamentum dedisse fustibus eum interfecerunt. Icarium autem occisum *canis* ululans *Mœra* Erigonæ monstravit, ubi insepultus iaceret. Quo cum venisset, super corpus parentis in arbore suspendio se necavit... Qui deorum voluntate in astrorum numerum sunt delati. Erigone signum Virginis... Icarius Arcturus in sideribus est dictus, *canis* autem *Mœra Canicula.*» — *stella proterva,* violenta; propter violentiam ardoris æstivi; cf. Hor. Carm. I. 26, 2—3: «protervis ventis.»

V. 6. *in tenero... solo,* molli et fecundo. — *fertilis herba,* luxurians.

V. 7—10. *Cereris,* frumenti. — *Pallada,* oleam; *Pallas,* per metonymiam etiam oleum significat, ut Ov. Her. 19, 44. et Trist. IV. 5, 4. Oleam Pallas creavit deditque hominibus, unde Verg. Ge. I. 18—19: «oleæque Minerva Inventrix.» — *rarus ager,* rara (i. e. non vulgari) fertilitate. — *Perque resurgentes rivis labentibus herbas,* per prata (= in pratis), ubi herbæ ope rivorum ab agricolis inductorum, postquam demessæ sunt, facile resurgunt. — *rivis labentibus,* rivos ab agricolis inductos intellege, ut infra vs. 35: «Et vocet in rivos currentem rusticus undam.» Cf. Verg. Ge. I. 106—109. (de agricola): «Deinde satis fluvium inducit *rivosque* sequentis Et, cum exustus ager morientibus æstuat herbis, Ecce supercilio clivosi tramitis undam Elicit.» — *obumbrat,* tegit.

V. 11—14. *meus ignis,* amica. — *verbo peccavimus uno,* i. e. ignis non abest; ignis enim et puellam amatam et amorem erga eam potest significare. — *Quæ movet ardores,* i. e. puella. — *ardor,* i. e. amor in puellam. — *si medius Polluce et Castore ponar,* si ex mortali immortalis fiam, ut Castor et Pollux, et in concilio deorum loco honorifico medius inter illos ponar. — *Polluce et Castore,* rarior dativi forma ad exemplum Propertii; cf. Prop. I. 14, 15: «Et nemus omne satas ut tendat *vertice* (i. e. ad cælum) silvas», IV. 1, 125: «Scandentis-

que Asisi consurgit *vertice* murus», IV. 8, 10: «Cum tener anguino creditur *ore* manus.» *In cœli... parte fuisse,* particeps esse beatitudinis cælestis; cf. Ov. Trist. V. 14, 9: «nostrorum cum sis in parte malorum» et Pont. II. 2, 104: «Et nos in turbæ parte fuisse tuæ.»

V. 15—16. *Solliciti iaceant,* sc. in sepulcro. — *terraque premantur iniqua,* contrarium illi, quod cippis sepulcralibus inscribi solebat: «Sit tibi terra levis.» — *In longas urbem qui secuere vias,* ex Tib. I. 3, 35—36: «Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam Tellus in longas est patefacta vias.»

V. 19—20. *premerem,* sc. pedibus; cf. infra III. 6, 12: «nostro ripa premenda pedi.» — *horridus,* frigore horrens, algens. — *Dummodo cum domina,* elliptice dictum, ut supra I. 6, 47: «Dummodo sic.» — *Cum domina Libycas ausim perrumpere Syrtes Et dare non æquis vela ferenda Notis,* poeta respexit Prop. II. 26, 29—30: «Seu mare per longum mea cogitet ire puella, Hanc sequar» et ibid. 35—36: «Omnia perpetiar, sævus licet urgeat Eurus Velaque in incertum frigidus Auster agat.» — *Libycas... Syrtes,* cf. adn. supra ad II. 11, 20: «Syrtes magna minorque.» — *perrumpere,* sc. navigando. — *non æquis... Notis,* cf. Hor. Carm. I. 3, 14—16: «rabiem Noti, Quo non arbiter Hadriæ Maior.»

V. 23—26. *quæ virgineo portenta sub inguine latrant,* Scylla, quæ fuit virgo, cuius corpus in caudam beluæ marinæ exiit, ex inguine autem latrantes canes eminuerunt. Poeta ante oculos habuit Catull. 60, 2: «Scylla latrans infima inguinum parte» et Verg. Ecl. 6, 74—75: «Scyllam Nisi... Candida succinctam latrantibus inguina monstris.» Ad sententiam cf. Prop. II. 26, 53—54. (de se cum domina navigante): «Crede mihi, nobis mansuescet Scylla nec umquam Alternante vacans vasta Charybdis aqua.» — *curva Malea,* promunturium Laconiæ propter tempestates ibi frequentes nautis periculosum; cf. Verg. Aen. V. 191—193: «nunc illas promite vires, Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus usi Ionioque mari Maleæque sequacibus undis» et proverbium Græcorum: *Μαλέαν ἐπικάμψας*

ἐπιλάθου τῶν οἰκάδε. — *curva,* propter sinus. — *quas,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Charybdis Funditur et effusas ore receptat aquas,* de vertice Charybdis, ut Trist. I. 10, IV. 1, 73—75: «Nec violenta suo consumpsit more Charybdis, Vel si sublimis fluctu consurgeret imo, Vel si interrupto nuda-ret gurgite pontum.» Cf. de Charybdi Hom. Od. XII. 237: *Ἦτοι ὅτ' ἐξεμέσειε, λέβης ὡς ἐν πυρὶ πολλῷ* et ibid. 240: *Ἀλλ' ὅτ' ἀναβρόξειε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ.*

V. 27—29. *Neptuni,* maris. — *subventuros auferet unda deos,* simulacra deorum puppi affixa; cf. adn. supra ad II. 11, 44: «nostros advehit illa deos» et Ov. Trist. I. 4, 7—8: «Monte nec inferior proræ puppique recurvæ Insilit et pictos verberat unda deos» et Pers. Sat. 6, 30—31: «Ingentes de puppe dei iamque obvia mergis Costa navis laceræ.» — *In nostris niveos umeris impone lacertos,* sc. ut te nando ad litus feram.

V. 31—32. *Saepe petens Heron iuvenis transnaverat undas,* Leandri exemplo docet poeta, quantis viribus natare possit amator. Hero erat sacerdos Veneris Sesti, in litore Hellesponti Europæo, Leander autem iuvenis habitabat Abydi, in litore adverso et noctu transnare solebat Hellespontum, ut amicam occulto conveniret. Viam ei lucerna monstrabat a puella in turri, in qua habitabat, exposita. Cf. Ov. Her. 18, 149—156 et 19, 35—36. — *Tum quoque,* nocte, qua Leander undis obrutus est. — *via cæca fuit,* obscura, quia lucerna puellae vento exstincta est.

V. 33—36. *operosi vitibus agri,* qui propter vineas multos labores poscunt ab agricolis; poeta ante oculos habuit Verg. Ge. II. 397—398: «Est etiam ille labor curandis vitibus alter, Cui numquam exhausti satis est.» Cf. Ov. Met. XV. 666—667, ubi *templa operosa* significant templa multo labore ædificata. — *natent,* madeant. — *Et vocet in rivos currentem rusticus undam,* ex Verg. Ge. I. 109. (de agricola): «Ecce supercilio clivosi tramitis undam Elicit.» — *rivos,* arte factos; cf. adn. supra ad vs. 9: «rivis labentibus.» — *comas,* frondes.

V. 37—40. *Pœlignos,* terram Pælignorum. — *rura paterna,* agros habebat Ovidii pater Sulmone; cf. Ov. Trist. II. 110—112. (de familia sua): «Parva quidem periit, sed sine labe domus; Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut arvo Clara.» — *Scythiam... Cilicasque... Britannos,* barbariei exempla. — *Cilicasque feros,* barbaros; gens inculta Asiae Minoris. Cf. Tib. I. 7, 16: «intonsos Cilicas.» — *vitreosque Britannos,* Britanni faciem inficere solebant *vitro,* i. e. herba, quæ etiam isatis (Plin. N. H. XX. 59.) et glastum (Plin. N. H. XXII. 2.), a viris doctis antem nunc *isatis tinctoria L.,* Hungarice *festőfü,* Germanice *Waid* vocatur; ex ea fit color cæruleus. Cf. Cæs. B. G. V. 14, 2: «omnes se Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc terribiliores sunt in pugna aspectu» et Martial. XI. 53, 1: «cæruleis Britannis.» — *vitreosque,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Quæque Prometheo saxa cruore rubent,* Caucasus, ubi saxo adfixus erat Prometheus iecurque eius semper renascens a vulture lacerabatur; cf. Hor. Carm. I. 22, 6—7: «inhospitalem Caucasum» et Prop. II. 25, «Caucaseas etiam si pateremur aves.»

V. 41. *Ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum,* exemplum coniugii firmi. Itali enim vites ulmis aut populis adiungebant dicebantque: arbores vitibus *maritare;* cf. Hor. Epod. 2, 9—10: «Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos» et Cat. De agr. 32: «Arbores facito ut bene maritæ sint vitesque uti satis multæ adserantur»; Verg. Ge. I. 2: «ulmis adiungere vites.»

V. 44. *perque oculos, sidera nostra, tuos,* ex Prop. II. 3, 14. (de oculis Cynthiæ): «oculi, geminæ, sidera nostra, faces.»

V. 45—46. *Verba puellarum, foliis leviora caducis, Inrita, qua visum est, ventus et unda ferunt,* ex Tib. I. 4, 19—20: «Veneris periuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt» et Lygd. 6, 50: «periuria ridet amantum Iuppiter et ventos irrita ferre iubet.» Cf. Ov. A. A. I. 633—634: «Iuppiter ex alto periuria ridet amantum Et iubet Aeolios irrita ferre Notos» et Rem. 286: «Irrita cum velis verba tulere Noti.»

V. 47. *Siqua mei tamen est in te pia cura relicti,* ex Tib. (Sulp.) IV. 11, 1: «Éstne tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ?»

V. 49—50. *Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis Ipsa per admissas concute lora iubas,* ex Prop. IV. 8, 15: «Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis» et ibid. 21—22: «Spectaculum ipsa sedens primo temone pependit, Ausa per impuros frena movere locos.» — *Parvaque... esseda,* genus currus, qua utebantur homines elegantiores; proprie ita appellabantur currus bellici Britannorum et Belgarum. Cf. Prop. II. 1, 76. (de Mæcenate): «Esseda cælatis siste Britanna iugis» et II. 32, 5. (de Cynthia): «Cur aut te Herculeum deportant esseda Tibur?»; Cic. Phil. II. 58: «vehebatur in essedo tribunus plebis.» — *mannis,* equi pusilli Gallici, quibus utebantur divites Romani; cf. Lucret. III. 1063. (de divite): «Currit agens mannos in villam præcipitanter.» Cf. Hor. Carm. III. 27, 7. Epod. 4, 14. Ep. I. 7, 77. et Prophyr. ad Hor. Carm. III. 27, 7. — *Ipsa per admissas concute lora iubas,* ex Verg. Aen. V. 146—147. «Non sic immissis aurigæ undantia lora Concussere iugis.» — *admissas... iubas,* effusas; cf. III. 4, 16: «Frenaque in effusa laxa iacere iuba.» Eodem sensu occurrit *immissus* Ov. Met. V. 338: «immissos hedera collecta capillos.»

XVII.

Lib. II. eleg. 17.

Poeta queritur de fastu Corinnae, cui tamen æternum in carminibus monumentum se erecturum dicit. Ante oculos habuit Prop. II. 25, 1—4. (de Cynthia):

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea «sæpe veni»,
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.

V. 4. *Quæ Paphon et fluctu pulsa Cythera tenet,* Venus. — *Paphon,* Paphos est urbs in insula Cypri, ubi Venus præcipue colebatur; cf. Hor. Carm. I. 30, 1—2: «O Venus, regina Cnidi Paphique, Sperne dilectam Cypron» et Pindar. fr. 99. (de Venere): *δέσποινα Κύπρου.* — *Cythera,* insula Veneri sacra; cf. supra adn. ad I. 3, 4: «Cytherea.»

V. 7. *facies,* sc. facies pulchra; cf. adn. supra ad II. 1, 4: «facie.» — *animos,* superbiam. — *violenta,* superba.

V. 10. *compositam,* comptam, ornatam; cf. adn. supra ad I. 5, 22: «compositi iuvenes.»

V. 14. *Aptari magnis inferiora licet,* cf. Verg. Ecl. 1, 23: «sic parvis componere magna solebam.»

V. 15—20. *Traditur et nymphe mortalis amore Calypso Capta recusantem detinuisse virum,* cf. Prop. I. 15, 9—10: «At non sic Ithaci digressu mota Calypso Desertis olim fleverat æquoribus.» — *Calypso,* quæ Ulixem amatum septem annos in insula Ogygia detinuit, ut Hom. Od. V. narratur. — *recusantem,* cf. Hom. Od. V. 13—15: *Ἀλλ' ὁ μὲν ἐν νήσῳ κεῖται κρατερῇ' ἄλγεα πάσχων, Νύμφης ἐν μεγάροισι Καλυψοῦς, ἣ μιν ἀνάγκῃ Ἴσχει· ὁ δ' οὐ δύναται ἣν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι.* — *æquoream Phthio Nereida regi,* Thetis, filia Nerei, dei marini, nupsit Peleo, regi Phthiae in Thessalia; cf. Catull. 64, 19—20: «Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore, Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos.» — *Egeriam,* nympham, quæ Numae Pompilio consilium dedisse putabatur. — *iusto ... Numae,* erat enim legifer iustissimus. — *incude relicta Turpiter obliquo claudicet ille pede,* cf. Ov. A. A. II. 567—570. (de Venere): «A, quotiens lasciva pedes risisse mariti Dicitur et duras igne vel arte manus. Marte palam simul est Vulcanum imitata: decebat Multaque cum forma gratia mixta fuit.» — *incude relicta,* cum venit ab incude; erat enim faber deorum.

21—22. *Carminis ... genus impar,* distichon elegiacum, ut infra III. 1, 37: «Imparibus numeris.» — *herous,* modus (versus) heroicus, hexameter. — *cum breviore modo,* pentrametro;

cf. infra III. 1, 66: «longis versibus adde brevis.» Longus versus dicitur sæpissime hexameter.

V. 23—26. *me ... in quaslibet accipe leges,* i. e. paratus sum tibi quavis sub condicione obtemperare; ex Prop. IV. 8, 74. (Cynthia ad poetam): «Accipe, quæ nostrae formula legis erit.» — *Te deceat medio iura dedisse toro,* iocose dictum; Ovidius ante oculos habuit Prop. IV. 8, 87—88., ubi poeta, postquam legibus Cynthiae se subiecit, ita pergit: «Atque ita mutato per singula pallia lecto Respondi et toto solvimus arma toro.» — *Non tibi crimen ero,* nemo tibi vitio vertere poterit, quod me amasti. — *Non ... infitiandus,* quia non est dedecori.

V. 27—30. *pro magno felicia carmina censu,* eadem fere sententia supra I. 3, 9—12: «Nec meus innumeris renovatur campus aratris, Temperat et sumptus parcus uterque parens: At Phœbus comitesque novem vitisque repertor Hinc faciunt.» — *felicia carmina,* quæ prospere cedunt, bona sunt. — *Et multae per me nomen habere volunt,* ex Prop. II. 5, 5—6: «Inveniam tamen e multis fallacibus unam, Quæ fieri nostro carmine nota velit.» — *circumferat,* ubique dicat. — *esse Corinnam,* erat enim Corinna fictum nomen, ut Lesbia Catulli, Lycoris Galli, Delia Tibulli, Cynthia Propertii. — *Ut fiat,* sc. re vera.

V. 31—34. *diversi,* longissime inter se distantes. — *ripa labentur eodem,* in eodem alveo. — *labentur,* ita scripsi; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Frigidus Eurotas populiferque Padus,* exempla duorum fluminum longe inter se distantium; ex Prop. I. 12, 4: «Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano» i. e. Pado. — *Eurotas,* fluvius Laconiæ Spartam alluens. — *populiferque Padus,* ut Ov. Met. I. 579: «Populifer Sperchios.» — *Padus,* fluvius maximus Italiæ. — *Nec nisi tu nostris cantabitur ulla libellis,* ut Prop. II. 25, 3: «Ista meis fiet notissima forma libellis. — *Ingenio causas tu dabis una meo,* ex Prop. II. 1, 4: «Ingenium nobis ipsa puella facit.» Cf. Ov. Her. 15, 206: «Ingenio vires ille dat, ille rapit.» — *causas,* sc. scribendi; cf. supra I. 3, 19—20: «Tu mihi materiam felicem in carmina praebe: Provenient causa carmina digna sua.»

XVIII.

Lib. II. eleg. 18.

Ad Macrum, epicum scriptorem, cui Ovidius opponit se, poetam eroticum. Ante oculos habuit Propertii elegiam (I. 7.) ad Ponticum epicum scriptam.

Macer erat familiarissimus Ovidii, ad quem etiam Pont. II. 10. scripsit. Una cum eo peragravit Asiam et Siciliam, ut ex eodem carmine (vss. 21. sqq.) elucet.

V. 1—4. *Carmen ad* etc., vss. 1—4. poeta ante oculos habuit Prop. I. 7, 1—5: «Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ Armaque fraternæ tristia militiæ, Atque, ita sim felix, primo contendis Homero, Sint modo fata tuis mollia carminibus: Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores Atque aliquid duram quærimus in dominam.» — *Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen,* scripsit igitur Macer Antehomerica, i. e historiam belli Troiani usque ad iram Achillis, ubi incipit Ilias. Unde apud Ov. Pont. IV. 16, 6: «Iliacusque Macer.» — *iuratis... viris,* qui Helenam se recuperaturos iuraverunt. Cf. Ov. A. A. I. 687—688: «Iurabant omnes in læsi verba mariti: Nam dolor unius publica causa fuit.» — *ignava Veneris cessamus in umbra,* i. e. amori et poesi amatoriæ nos dedimus; cf. adn. supra ad I. 9, 42: «lectus et umbra.» — *ausuros grandia,* i. e. epica carmina aut tragœdiam; cf. infra vs. 12—14.

V. 11—12. *sumptis... ab armis,* a carmine epico suscepto. — *Resque domi gestas et mea bella cano,* poeta respexit Prop. II. 1, 13—14. (de Cynthia): «Seu nuda erepto mecum luctatur amictu, Tum vero longas condimus Iliadas» et III. 5, 1—2: «Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes: Sat mihi cum domina prœlia dura mea.»

V. 13—16. *Sceptra... sumpsi,* tragœdiam scribendam sus-

cepi. Sceptrum regale significat tragœdiam, ubi de regum factis agitur, unde infra III. 1, 13. (de dea Tragœdia): «Læva manus sceptrum late regale movebat.» Cf. Hor. Sat. I. 10, 42–43. (de tragœdiis Pollionis): «Pollio regum Facta canit pede ter percusso.» — *curaque tragœdia nostra Crevit,* re vera perfecit postea tragœdiam *Medeam,* quæ ad nostram ætatem non pervenit. — *huic operi quamlibet aptus eram,* Ovidium non sine causa hoc loco gloriari docemur Tac. Dial. 12: «nec ullus Asinii aut Messallæ liber tam inlustris est, quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes» et Quintil. Inst. Or. X. 1, 98: «Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir præstare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset.» — *pallamque meam,* pallam longam *(σύρμα)* gerebant tragœdi; cf. Hor. A. P. 278—279: «personæ pallæque repertor honestae Aeschylus.» — *pictosque cothurnos,* calceus tragœdorum altus, colore rubro; poeta ante oculos habuit Verg. Aen. I. 337: «purpureo cothurno» et Ecl. 7, 32: «puniceo cothurno.» — *privata... manu,* opponitur dignitati regiæ. — *iniquæ,* non propitia, proposito non favens. — *cothurnato vate,* tragico.

V. 19–20. *artes teneri profitemur Amoris,* i. e. scribimus elegias amatorias (libros Amorum); est enim poeta eroticus magister amoris, ex cuius libris discunt amantes, et præcipue in Ovidii Amorum libris inveniuntur præcepta ad puellas, ut supra I. 4. et infra II. 19, 19–36. Cf. Prop. I. 7, 13—14: «Me legat assidue post hæc neglectus amator Et prosint illi cognita nostra mala» et III. 3, 47—50. (Calliope ad poetam): «Quippe coronatos alienum ad limen amantes Nocturnæque canes ebria signa fugæ, Ut per te clausas sciat excantare puellas, Qui volet austeros arte ferire viros»; Tib. I. 4, 75—76: «vos me celebrate magistrum, Quos male habet multa callidus arte puer.» — *profitemur,* publice docemus, ut ii, qui iuris civilis scientiam profitentur; ante oculos habuit Tib. I. 4, 77—80: «me, qui spernentur, amantes Consultent: cunctis ianua nostra patet. Tempus erit, cum me Veneris præcepta ferentem Deducat iuvenum sedula turba senem», ubi poeta se comparat cum iurisconsul-

tis celebribus, quos iuvenes studiosi solebant deducere (i. e. comitari) in forum et de foro domum. — *præceptis urgeor ipse meis,* alludit ad I. 4, 45—46: «Multa miser timeo, quia feci multa proterve Exemplique metu torqueor ipse mei» et II. 19, 33—34: «Siqua volet regnare diu, deludat amantem! Ei mihi! ne monitis torquear ipse meis» et Tib. I. 6, 9—10: «Ipse miser docui, quo posset ludere pacto Custodes: heu heu nunc premor arte mea.»

V. 21—26. *Aut quod Penelopes* etc., vss. 21—26. docemur poetam aliquot Epistulas Heroidum scripsisse eodem, quo Amorum elegias, tempore. — *Penelopes verbis reddatur Ulixi,* alludit ad Her. 1.: Penelope Ulixi. — *Phylli relicta,* filia Sithonis, regis Thraciæ, relicta a Demophoonte, Thesei filio; cf. Her. 2: Phyllis Demophoonti. — *Paris,* cf. Her. 5., ubi Oenone nympha scribit Paridi infideli. — *Macareus,* cf. Her. 11., ubi Canace, Aeoli filia, scribit fratri Macareo, quem incesto amore amavit. — *male gratus Iaso,* cf. Her. 6., ubi Hypsipyle, regina Lemni, scribit Iasoni. — *male gratus,* Hypsipyle Iasonem benigne excepit hospitio in insula Lemni, sed Iaso postea propter amorem Medeæ oblitus est eius. — *Hippolytique parens,* cf. Her. 10, ubi Ariadne scribit Theseo, qui eam perfide in insula Diæ reliquit; cf. etiam adn. supra ad I. 7, 16: «Cressa.» — *Hippolytusque,* cf. Her. 4., ubi Phædra, uxor Thesei, scribit Hippolyto, privigno suo, quem incesto amavit amore. — *tenens strictum Dido... ensem,* cf. Her. 7., ubi Dido scribit Aeneæ in Italiam profecturo; alludit ad Her. 7, 183—185: »Aspicias utinam, quæ sit scribentis imago: Scribimus et gremio Troicus ensis adest, Perque genas lacrimæ strictum labuntur in ensem.» — *ensem,* ensis Aeneæ, quo Dido postea se interfecit. — *Aeoliæ, Lesbia, fama lyræ,* Sappho, vates Lesbia celeberrima, decus poeseos lyricæ Aeoliæ. Cf. Her. 15., ubi Sappho scribit amatori Phaoni. — *Aeoliæ... lyræ,* quia insulam Lesbi Aeolii incolebant, unde Ov. Her. 15, 200: «Lesbides, Aeolia nomina dicta lyra», i. e. puellæ, quas Sappho carminibus celebravit. Cf. Hor. Carm. II. 13, 23—24: «Aeoliis fidibus querentem Sappho puellis de popularibus» et IV. 9, 11—12: «Vivuntque commissi

calores Aeoliæ fidibus puellæ». - *Lesbia, fama,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Lesbia,* Sappho, ut infra vs. 34: «Lesbis.» — *fama lyræ,* gloria, decus poeseos lyricæ, ut infra III. 9, 5. (ad deam Elegiam): «Ille tui vates operis, *tua fama,* Tibullus»; poeta utrobique ante oculos habuit Prop. I. 15, 21—22: «Euadne ... Argivæ fama pudicitiæ.»

V. 27—28. *de toto rediit meus orbe Sabinus,* Ovidii amicus, qui responsis heroum supplevit Epistulas Heroidum. De eodem Sabino dicit Ov. Pont. IV. 16, 13—14: »qui Penelopæ rescribere iussit Ulixem Errantem sævo per duo lustra mari.» - *de toto rediit ... orbe,* quia heroes, quibus heroides epistulas scripserunt, in diversissimis orbis terrarum oris commorabantur. — *diversis,* longinquis.

V. 29—34. *Candida Penelope,* ad candorem animi referendum: fidelis, proba, ut Tib. IV. 4, 17—18. (de Sulpicia): «At nunc tota tua est, te solum candida secum Cogitat.» — *signum,* epistulam anulo obsignatam; cf. adn. supra ad II. 15, 15: «signare.» — *noverca,* Phædra. — *Elissae,* alterum nomen Didus. — *Phyllis, si modo vivit,* nam Demophoontem diu frustra exspectans se in arbore suspendit. — *Tristis,* sc. Hypsipylae tristis; scripsit enim Iason se Medeam amare. — *Det votam Phœbo Lesbis amata lyram,* alludit ad Her. 15, 181—183: «Inde chelyn Phœbo, communia munera, ponam, Et sub ea versus unus et alter erit: Grata lyram posui tibi, Phœbe, poetria Sappho.» Vovit enim se lyram amore Phaonis recuperato Phœbo dedicaturam. — *Lesbis,* Sappho, ut supra vs. 26: «Lesbia». — *amata,* sc. a Phaone.

V. 35—38. *qua tutum vati ... arma canenti,* quatenus concessum est poetæ epico. — *Aureus ... Amor,* cf. adn. supra ad I. 2, 42: «aureus ipse.» — *Marte,* bello. — *adultera,* Helena. — *nobile crimen,* fama celebratum. — *Et comes extincto Laodamia viro,* quæ post mortem mariti, Protesilai, se interfecit; cf. etiam adn. ad II. 6, 41: «Phylacidæ.»

V. 40. *in mea castra venis,* in castra Cupidinis amores heroum et heroinarum narrans.

XIX.

Lib. II. eleg. 19.

Poeta, ne concessus amor in tædium sibi vertatur, ironice monet maritum nimium securum, ut puellam diligentius custodiat. Ante oculos habuit Tibulli ironica ad coniugem Deliæ monita I. 6, 15—16:

> At tu, fallacis coniunx incaute puellæ,
> Me quoque servato, peccet ut illa nihil

etc. Plura etiam ex hoc carmine sumpsit, ut infra in adnotationibus docebimus.

Idem fere argumentum tractatur Ov. A. A. III. 577—610. Comparari possunt contraria ad virum puellæ monita infra III. 4.

V. 1—4. *stulte*, virum puellæ alloquitur. — *velim*, cupiam. — *Quod licet, ingratum est; quod non licet, acrius urit*, cf. Philodemi epigramma (Anth. Pal. XII. 173, 3—4.): *οὐ γὰρ ἕτοιμα Βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον.* — *urit*, cupidine incendit. — *Ferreus est*, sine sensu.

V. 6. *Et faciat voto rara repulsa locum*, repulsa interdum voluptatibus amatoriis intermixta excitet cupidinem languentem; eadem sententia Ov. A. A. III. 580: «Miscenda est lætis rara repulsa iocis.» — *voto*, cupidini.

V. 7—8. *Quo mihi fortunam*, eadem verba initio hexametri Hor. Ep. I. 5, 12. — *Nil ego, quod nullo tempore lædat, amo*, ut Ov. A. A. III. 598: «En ego confiteor: non nisi læsus amo.»

V. 9—13. *Viderat hoc in me vitium versuta Corinna*, poeta amore Corinnæ se iam liberum esse et nunc novo indulgere amori fingit. — *opem*, artem. — *sani capitis mentita dolores*, ut supra I. 8, 73: «capitis modo finge dolorem»; poeta ante oculos habuit Tib. I. 6, 36: «simulat subito condoluisse caput.» — *tardo... pede*, iunge cum *cunctantem*. — *finxit cul-*

pam, ut supra I. 8, 71: «Nec nocuit simulatus amor: sine credat amari.»

V. 18. *Oscula, di magni, qualia quotque dabat*, cf. Ov. Her. 18, 102: «Oscula, di magni, trans mare digna peti.»

V. 19—22. *quæ nostros rapuisti nuper ocellos*, ex Prop. III. 10, 15: «qua primum oculos cepisti veste Properti» et II. 1, 55: «Una meos quoniam prædata est femina sensus.» — *Saepe time insidias*, simula te insidias mariti et custodis timere; cf. Ov. A. A. III. 601—602: «Incitat et ficti tristis custodia servi Et nimium duri cura molesta viri» et Tib. II. 6, 49—50: «Sæpe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam Nuntiat aut aliquas extimuisse minas.» — *rogata*, cf. adn. supra ad I. 6, 93: «rogavit.» — *nega*, absolute positum apud eroticos significat: Veneris gaudia negare viro. — *ante tuos proiectum in limine postis Longa pruinosa frigora nocte pati*, poeta ante oculos habuit Hor. Carm. III. 10, 2—4: «tu tamen asperas Porrectum ante fores obicere incolis Plorares Aquilonibus.»

V. 23. *Sic mihi durat amor*, cf. Ov. A. A. III. 597: «Quamlibet extinctos iniuria suscitat ignes.»

V. 23—24. *Pinguis amor*, quietus; cf. adn. supra ad I. 13, 7: «somni pingues.» — *patens*, quo facile potimur. — *stomacho dulcis ut esca, nocet*, eadem sententia Ov. A. A. III. 583: «Dulcia non ferimus: suco renovamur amaro.» Poeta respexit Hor. Sat. II. 2, 75—76: «Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum Lenta feret pituita.»

V. 27—29. *Si numquam Danaen habuisset aenea turris, non esset Danae de Iove facta parens*, ut Ov. A. A. III. 631—632: «Adfuit Acrisio servandæ cura puellæ: Hunc tamen illa suo crimine fecit avum.» — *Danaen habuisset aenea turris*, ut Hor. Carm. III. 16, 1—3: «Inclusam Danaen turris aenea Robustæque fores . . . munierant.» Danaen in turri aenea clausam tenuit pater Acrisius, sed Iuppiter tamen adiit eam in imbrem aureum mutatus. — *parens*, mater Persei. — *servat Iuno mutatam cornibus Ion*, cf. adn. supra ad II. 2, 45: «custos Iunonius.» — *Ion*, recte scripsit Ehwald ex constanti

Ovidii usu pro lectione codicum: *Io,* quod molestum homœoteleuton efficit cum *Iuno* præcedente.

V. 32. *e magno flumine potet aquam,* poeta ante oculos habuit Hor. Sat. I. 1, 55—56: «magno de flumine mallem, Quam hoc ex fonticulo tantundem sumere.»

V. 34. *Ei mihi, ne monitis torquear ipse meis,* ut supra II. 18, 20: «Ei mihi! præceptis urgeor ipse meis», ubi cf. adn.

V. 36. *Quod sequitur, fugio; quod fugit, ipse sequor,* poeta respexisse videtur Callimachi epigramma (Anth. Pal. XII. 102, 5–6.): *Χούμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται.*

V. 37. *At tu, formosæ nimium secure puellæ,* ex Tib. I. 6, 15: «At tu, fallacis coniunx incaute puellæ.»

V. 40—42. *quid latrent nocte silente canes,* ex Tib. I. 6, 31–32: «Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit, Instabat tota cui tua nocte canis.» — *ferat et referat sollers ancilla tabellas,* ex Tib. II. 6, 45—46: «Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas Occulto portans itque reditque sinu.» — *vacuo secubet... toro,* morbum aut sacra caste celebranda prætendens; ex Tib. I. 3, 26: «puro secubuisse toro.» Cf. supra I. 8, 73—74: «Sæpe nega noctes: capitis modo finge dolorem, Et modo, quæ causas præbeat, Isis erit.» — *secubet,* i. e. separat se nocte a viro.

V. 49—50. *Multa diuque tuli,* eadem verba initio hexametri infra III. 11, 1. — *verba darem,* te fallerem.

V. 52. *mihi concessa,* puella mihi concessa; abl. abs. ellipticus, ut Verg. Aen. IV. 692: «Quæsivit cælo lucem ingemuitque reperta.»

V. 54. *sub nullo vindice,* ultore: numquam debebo ultorem timere.

V. 55. *per nulla traham suspiria somnos,* ex Prop. III. 8, 27: «Odi ego, quos numquam pungunt suspiria, somnos»; cf. Prop. II. 22, 47: «Quanta illum toto versant suspiria lecto.»

V. 57. *facili,* indulgenti.

V. 60. *veta,* sc. me tibi rivalem esse.

AD LIBRUM TERTIUM.

I.

Lib. III. eleg. 1.

Præfatio libri tertii: Tragœdia et Elegia certant, ut poetam sibi adiungant. Sed poeta utrique satisfacere vult: breve enim tempus Elegiæ se sacraturum pollicetur, ut carmina amatoria ad finem perducat, deinde totum se Tragœdiæ dediturum dicit.

V. 3—4. *speluncaque pumice pendens,* cui pumex impendet; poeta ante oculos habuit Prop. III. 3, 27—28: «Hic erat affixis viridis spelunca lapillis Pendebantque cavis tympana pumicibus.» — *queruntur,* ita cantant, ut queri videantur.

V. 6—9. *Elegia,* personificata; dea elegiæ. — *nexa capillos,* eleganter compta; opponitur Tragœdiæ, cui (vs. 12.): «Fronte comæ torva.» — *pes illi longior alter,* quia in disticho elegiaco impares sunt versus. — *vestis tenuissima,* quales erant vestes Coæ, quas gerebant puellæ leves a poetis elegiacis celebratæ; cf. Tib. II. 3, 53—54. (de Nemesi): «Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit» et Prop. I. 2, 2. (de Cynthia): «tenues Coa veste movere sinus.»

V. 11—14. *violenta Tragœdia,* dea tragœdiæ. — *violenta,* propter argumenta tragica. — *Fronte comæ torva,* sc. iacebant. supplendum ex vs. 12. Erat igitur passis capillis, ut lugentes. — *palla,* cf. adn. supra ad II. 18, 15: «pallamque meam.» — *sceptrum regale,* cf. adn. supra ad II. 18, 13: «Sceptra.» — *late . . . movebat,* gestu tragico. — *Lydius alta pedum vincla cothurnus,* ex Verg. Aen. I. 337: «Purpureoque alte suras vin-

cire cothurno.» Cf. etiam adn. supra ad II. 18, 15: «pictosque cothurnos». — *Lydius,* a Lydis cothurnum accepisse videntur Græci.

V. 16—18. *argumenti lente . . . tui,* tenax, quia diu hæret in eodem argumento. — *Nequitiam,* cf. adn. supra ad II. 1, 2: «nequitiæ poeta meæ». — *Narrant in multas compita secta vias,* ex Prop. II. 20, 21—22. (ad Cynthiam): «Septima iam plenæ deducitur orbita lunæ, Cum de me et de te compita nulla tacent.» — *Narrant . . . compita,* i. e. narrat iam populus in urbe.

V. 21—23. *Fabula, nec sentis, tota iactaris in Urbe,* ex Prop. II. 24, 1—2: «Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro et tua sit toto Cynthia lecta foro?» Simili sensu occurrit *rumor* apud Prop. I. 5, 26: «Quam cito de tanto nomine rumor eris.» — *Dum tua præterito facta pudore refers,* ut Prop. II. 3, 4. (de libro suo secundo): «Et turpis de te iam liber alter erit.» — *Tempus erat,* esset. — *thyrso pulsum graviore moveri,* ad gravius poeseos genus, ad tragœdiam transire. Bacchus thyrso percutit poetas, quibus sacrum furorem inicere vult, unde infra III. 15, 17: «Corniger increpuit thyrso graviore Lyæus.» Poeta utrobique ante oculos habuit Lucret. I. 922—923: «sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.» De Baccho, poetarum patrono cf. adn. supra ad I. 3, 11: «vitisque repertor.» — *moveri,* saltare; poetæ enim adiungunt se choreis Musarum. Cf. Prop. II. 10, 1: «Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis»; II. 30, 37—38. (de Cynthia poetria in chorum Musarum a Baccho ductarum recepta): «(Musæ) te prima statuent in parte choreæ Et medius docta cuspide Bacchus erit»; III. 2, 13—14: «At Musæ comites et carmina cara legenti Et defessa choris Calliopea meis»; III. 5, 19—20: «Me iuvet in prima coluisse Helicona iuventa Musarumque choris implicuisse manus.»

V. 25—26. *Materia premis ingenium,* i. e. argumento levi attenuas ingenii vires. — *cane facta virorum,* regum et heroum; cf. Hor. Sat. I. 10, 42—43. (de tragœdiis Pollionis): «Pollio

regum Facta canit pede ter percusso.» — *Hæc animo . . . area facta meo est,* eodem sensu infra III. 15, 18: «Pulsanda est magnis area maior equis.» — *area, στάδιον,* spatium circi certamini curruum destinatum.

V. 28—30. *Primaque per numeros acta iuventa suos,* i. e. per poesin amatoriam; dixit enim Prop. II. 10, 7: «Aetas prima canat veneres, extrema tumultus.» — *numeros . . . suos,* versus iuventuti convenientes. — *Nunc habeam per te Romana Tragœdia nomen,* de Ovidio tragœdiæ scriptore cf. adn. supra ad II. 18, 13—14: «curaque tragœdia nostra Crevit.» — *Implebit leges spiritus iste meas,* ingenium tuum respondebit hoc magno proposito; cf. adn. ad II. 18, 14: «huic operi quamlibet aptus eram.» — *spiritus,* sc. poeticus.

V. 31—32. *movit . . . Densum cæsarie . . . caput,* comas diffundere et caput iactare solebant vaticinantes; Tragœdia idem facit, quia poetæ felicem carminum eventum (vs. 30.) prædicit. Poeta respexit Tib. II. 5, 65—66. (de Sibylla): «Hæc cecinit vates et te sibi, Phœbe, vocavit, Iactavit fusas et caput ante comas.» — *pictis . . . cothurnis,* cf. adn. supra ad II. 11, 15: «pictosque cothurnos.» — *innixa cothurnis,* ut Hor. A. P. 280. (de Aeschylo): «Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.»

V. 33—34. *limis . . . ocellis,* paetis, quales decent puellam lascivam. Pæto oculo est Venus ipsa; cf. Ov. A. A. II. 659: «Si pæta est, Veneri similis, si rava, Minervæ» et Priap. 36, 4: «Minerva ravo lumine est, Venus pæto.» — *in dextra myrtea virga fuit,* pro sceptro, quod Tragœdia (vs. 13.) gerit. Cf. adn. supra ad I. 1, 29: «Cingere . . . myrto.»

V. 36. *premis,* persequeris.

V. 37. *Imparibus . . . numeris,* distichis elegiacis; cf. supra II. 17, 21—22: «Carminis hoc ipsum genus impar, sed tamen apte Iungitur herous cum breviore modo.» — *numeris . . . moveri,* ad numeros moveri; imago a saltatione ducta, qua poeta ad saltationem chori tragici alludit; cf. Tib. I. 7, 38: «Movit et ad certos nescia membra modos.»

V. 40. *Obruit,* opprimit, obscurat. – – *regia vestra,* cf. adn. supra ad II. 18, 13: «Sceptra.» – – *fores,* domos.

V. 43–46. *Rustica,* cf. adn. supra ad I. 8, 44: «rusticitas.» — *mater Amoris,* Venus. – – *proveni,* nata sum. – – *lena,* quia poesis amatoria ad amandum pellicit homines. — *duro . . . cothurno,* gravi dicendi genere. – – *Hæc est blanditiis ianua laxa meis,* cf. supra II. 1, 27–28: «Carminibus cessere fores insertaque posti, Quamvis robur erat, carmine victa sera est.» Etiam Prop. III. 3, 49–50. ita definit propositum elegiæ: «Ut per te clausas sciat excantare puellas, Qui volet austeros arte ferire viros.» — *laxa,* aperta.

V. 47–48. *Et tamen emerui,* i. e. quamquam levis sum (vs. 41.), tamen emerui plus posse, quam tu. Poeta ante oculos habuit Prop. IV. 11. 61: «Et tamen emerui generosos vestis honores.» — *ferendo,* tolerando. — *supercilio,* gravitati, severitati, superbiæ.

V. 49–52. *Per me . . . didicit* etc., poetæ enim erotici elegiis docent puellas, quomodo custodes fallere possint; vss. 49–52. Ovidius ante oculos habuit Tib. I. 2, 15—20: «Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle. Audendum est: fortes adiuvat ipsa Venus. Illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat, Seu reserat fixo dente puella fores: Illa docet molli furtim derepere lecto, Illa pedem nullo ponere posse sono.» — *Liminis adstricti,* ianuæ clausæ. — *fidem,* personificate; ianua est enim custos domus. — *tunica velata soluta,* sine cingulo, ut infra III. 7, 81. Cf. supra I. 5, 9: «tunica velata recincta.» – – *impercussos . . . movere pedes,* ut supra I. 6, 8: «inoffensos dirigit ille (sc. amor) pedes.»

V. 53–58. *foribus . . . incisa,* solebant enim amatores exclusi carmina ianuæ inscribere; cf. Plaut. Merc. 408. (puella de se): «vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium, impleantur elegeorum meæ fores carbonibus» et Prop. I. 16, 9—10. (ianua de se): «Nec possum infamis dominæ defendere noctes, Nobilis obscenis tradita carminibus.» — *Non verita,* nec me pudebat. — *Quin,* gradatio. — *Ancillæ missam delituisse sinu,*

sumptum videtur ex comœdia Atticorum nova; cf. Turpilii fr. 13. Ribb. (apud Non. 538, 8.): «Me miseram! quid agam? inter vias epistula excidit mihi: infelix inter tuniculam et strofium conlocaveram» et Ov. A. A. III. 621—622: «Conscia cum possit scriptas portare tabellas, Quas tegat in tepido fascia lata sinu.» — *cum me munus natali mittis,* cum poeta muneris natalicii loco elegiam amatoriam misit Corinnæ. — *illa,* sc. Corinna. — *Rumpit,* scindit irata, quod pro pretiosis muneribus carmina tantum acceperit. — *barbara,* quia carmina recte æstimare nequit. — *mersat,* scripsit rectissime Ehwald pro *mersit* codicibus tradito; nullus enim hic tempori perfecto locus, cum præcedant *mittis* (vs. 57.) et *Rumpit.*

V. 59—60. *felicia semina,* fecunda. — *habes,* lectio editionum veterum, quæ hoc loco præferenda videtur lectioni codicum optimorum: *habet.* — *quod te iam petit ista,* quod Tragœdia te iam sibi vindicat.

V. 61—64. *per vos utramque rogamus,* i. e. rogamus vos per utramque vestrum. In tali obtestatione sollemnis est hic verborum ordo, ut Tib. I. 5, 7—8: «per te furtivi fœdera lecti... quæso» et IV. 5, 7: «per te dulcissima furta... rogo.» — *vacuas aures,* attentas, aliis rebus non occupatas. — *timentis,* timens enim alloquitur mortalis homo deas. — *sceptro decoras altoque cothurno,* cf. supra II. 18, 15—16: «Risit Amor... pictosque cothurnos Sceptraque privata tam cito sumpta manu» et adn. ad h. l. — *contacto,* numine Tragœdiæ afflato; cf. Ov. Her. 4, 49—50: «Aut quas semideæ Dryades Faunique bicornes Numine contactos attonuere suo.» — *magnus in ore sonus,* ut poetam tragicum decet; cf. Hor. A. P. 280. (de Aeschylo): «Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.»

V. 66. *longis versibus adde brevis,* cf. adn. supra ad II. 17, 22: «cum breviore modo.»

V. 68—70. *Tu labor æternus,* tu es mihi æternus labor, i. e. mox totam vitam tibi sacrabo. — *Mota,* i. e. verbis meis permota. — *properentur,* propere perficiantur. — *Amores,* Amorum libri. — *Dum vacat,* dum tempus habeo.

II.

Lib. III. eleg. 2.

Poeta in circo alloquitur puellam iuxta se sedentem amoremque eius sibi conciliare temptat.

Idem argumentum Ov. A. A. I. 135—163.

V. 1—3. *nobilium . . . equorum,* fama celebratorum; erat enim optimus quisque equorum in circo certantium nomine notus populo. — *vincat ut ille,* sc. auriga; agitur enim de certamine curruum. Cf. infra vs. 7: «O cuicumque faves, felix agitator equorum.» — *tecumque sederem,* in circo viri feminæque promiscue sedebant; cf. Ov. Trist. II. 284. de circo: «Hic sedet ignoto iuncta puella viro.» Aliter in theatro; cf. adn. supra ad II. 7, 3: «Sive ego marmorei respexi summa theatri.»

V. 9—12. *sacro de carcere,* cur sacer appelletur carcer, non liquet. Scribendum fortasse: «*reserato* carcere.» Cf. infra vs. 77: «Iamque patent iterum reserato carcere postes.» — *Insistam,* instabo equis, urgebo eos; cf. Hor. Sat. I. 1, 113—114: «Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus, Instat equis auriga.» — *forti mente vehendus,* fortitudine opus erat aurigæ, quia currus in certamine multis periculis erat obnoxius. — *lora dabo,* habenas immittam. — *stringam metas interiore rota,* pæne tangam; aurigæ enim brevissimo gyro debebant circum metam flectere equos, sed erat iis summopere cavendum, ne currus metæ aut curribus aliorum illideretur; cf. infra III. 15, 2: «Raditur hic elegis ultima meta meis» et Ov. A. A. II. 426: «Interior curru meta terenda meo est.»

V. 14—17. *fluent,* cadent; cf. adn. supra ad II. 14, 25: «fluant matura.» — *quam pœne Pelops Pisæa concidit hasta.* Oenomaus enim, rex Pisæ, pater Hippodamiæ, procos filiæ ad certamen curruum provocavit et, quos consecutus est, a tergo transfixit hasta. — *Pelops,* Tantali filius. — *spectat vultus,*

Hippodamia, tuos, pulchritudinis exemplum est Hippodamia etiam Prop. I. 2, 19—20: «Nec Phrygium traxit falso candore maritum Avecta externis Hippodamia rotis.» — *favore suæ vicit . . . puellæ,* Hippodamia enim corrupit Myrtilum, aurigam patris, ut clavam ex axe currus Pelopis eximeret.

V. 19—24. *cogit nos linea iungi: Hæc in lege loci commoda circus habet,* cf. Ov. A. A. I. 141—142: «Et bene, quod cogit, si nolit, linea iungi, Quod tibi tangenda est lege puella loci» et Trist. II. 284. (de circo): «Hic sedet ignoto iuncta puella viro.» — *linea,* lineæ incisæ subselliis, quibus sedes singulorum separabantur. Cum autem singuli loci essent augusti, sedentes se tangere cogebantur. — *a dextra quicumque es,* qui iuxta puellam sedet a dextra. — *Contactu lateris lædituʳ ista tui,* cf. Ov. A. A. I. 139—140. (de circo): «Proximus a domina nullo prohibente sedeto: Iunge tuum lateri, qua potes usque, latus.» — *Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura, Si pudor est, rigido nec preme terga genu,* cf. Ov. A. A. I. 157—158: «Respice præterea, post vos quicumque sedebit, Ne premat opposito mollia terga genu.» — *qui spectas post nos,* i. e. in subsellio superiore. — *nec preme terga genu,* ii enim, qui in subsellio superiore sedebant, pedes ponebant in parte posteriore subsellii inferioris.

V. 25—28. *Sed nimium demissa,* ad vss. 25—27. cf. Ov. A. A. I. 153—156: «Pallia si terra nimium demissa iacebunt, Collige et immunda sedulus effer humo. Protinus, officii pretium, patiente puella Contingent oculis crura videnda tuis.» — *Quoque magis spectes,* sententia elliptica, cuius subiectum indefinitum est; intellege: et quo magis hæc crura spectes (spectemus, spectet aliquis), eo magis placeant.

V. 29—31. *Talia Milanion Atalantes crura fugacis Optavit manibus sustinuisse suis,* sc. in coitu; cogitandum de ea Veneris figura, quam Ov. A. A. III. 775—776. ita describit: «Milanion umeris Atalantes crura ferebat: Si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.» Eadem coitus forma conspicitur in phiala quadam, quæ descripta est apud *Hartwigium:* Die griechischen

Meisterschalen, p. 348. Cf. etiam supra II. 4, 22: «Culpantis cupiam sustinuisse femur.» — *Milanion,* amator Atalantæ, qui puellam venantem in silvis Arcadiæ comitatus est; cf. Prop. I. 1, 9—12: «Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores Sævitiam duræ contudit Iasidos: Nam modo Partheniis amens errabat in antris, Ibat et hirsutas ille videre feras.» — *Atalantes . . . fugacis,* quæ celerrimo cursu insequebatur feras; cf. adn. supra ad I. 7, 13: «Schœneida.» - *crura,* erat enim Atalanta venatricis more succincta, i. e. cruribus nudis. — *pinguntur,* sc. in tabulis pictis. — *succinctæ crura Dianæ,* ut Ov. Met. X. 836: «Fine genus vestem ritu succincta Dianæ»; cf. Verg. Aen. I. 318—320: «Namque umeris de more habilem suspenderat arcum Venatrix dederatque comam diffundere ventis, Nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.»

V. 33. *quid fiet ab ipsis,* postquam ipsa crura vidi, non tantum lineamenta crurum sub veste. — *ab ipsis,* hoc loco *ab* causam significat exemplo Propertii; cf. Prop. I. 16, 4: «Supplicis a longis tristior excubiis», II. 27, 11: «quando periturus et a qua Morte», III. 25, 6: «Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles», IV. 3, 39: «quæ (tellus) putris ab æstu.» — *ipsis,* emendavit Lucianus Mueller; codices habent: *istis.*

V. 36. *sub tenui . . . veste,* quales gerebant meretrices; cf. supra adn. ad III. 1, 9: «vestis tenuissima.»

V. 37—38. *faciles . . . ventos,* mobiles. — *tabella,* flabellum, ut Ov. A. A. I. 161: «Profuit et tenui vento movisse tabellam.»

V. 40. *femineus . . . amor,* amor in feminam, cui opponi solet amor in pueros, Græce *ἀρσενικὴ Κύπρις.*

V. 41—42. *Dum loquor, alba levi sparsast tibi pulvere vestis: Sordide de niveo corpore pulvis abi,* ut Ov. A. A. I. 149—150: «Utque fit, in gremium pulvis si forte puellæ Deciderit, digitis excutiendus erit.»

V. 43—44. *Sed iam pompa venit,* pompa circensis, cum ante ludos commissos imagines deorum in area circumferebantur. — *linguis animisque favete,* i. e. silentium sit et imprimis parcat quisque verbis male ominatis animoque attento ad-

sit sacris. Sollemnis formula erat: «Favete linguis», ut Hor. Carm. III. 1, 2. Cf. Tib. II. 2, 2: «Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave» et Prop. IV. 6, 1: «Sacra facit vates: sint ora faventia sacris.» *Tempus adest plausus,* plaudebatur enim imaginibus deorum.

V. 47—51. *qui creditis undis,* qui navem vestram undis creditis. — *Nil mihi cum pelago, me mea terra capit,* ut Prop. III. 7, 71—72: «At tu, sæve Aquilo, numquam mea vela videbis: Ante foies dominæ condar oportet iners.» — *mea terra,* ut supra II. 11, 30: «quem sua terra tenet», ubi cf. adn. — *capit,* mihi satis loci est in terra mea; poeta ante oculos habuit Prop. III. 7, 34. (de nautis): «Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?» Cf. infra III. 8, 49: «Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses!» — *nos odimus arma: Pax iuvat et media pace repertus amor,* ut Prop. III. 5, 1: «Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes.» — *Phœbe,* Diana.

V. 53—54. *teneroque . . . Baccho,* quia semper iuvenis est; cf. Tib. II. 3, 63: «Bacche tener.» — *adsurgite,* sc. venerationis testificandæ causa. — *Pollucem pugiles, Castora placet eques,* cf. Hom. Il. III. 237: *Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.*

V. 55—58. *Nos tibi, blanda Venus . . . Plaudimus,* cf. Ov. A. A. I. 147—148: «At cum pompa frequens certantibus ibit ephebis, Tu Veneri dominæ plaude favente manu.» — *pueris-que potentibus arcu,* Cupidinibus, qui Venerem cinguntur. — *Daque novæ mentem dominæ: patiatur amari,* da novæ dominæ talem mentem, ut se a me amari patiatur; cf. supra I. 3, 3: «tantum patiatur amari.« — *Adnuit,* simulacrum Veneris in pompa adnuere visum est.

V. 61. *Per tibi tot iuro testes,* de ordine verborum cf. adn. supra ad III. 1, 61: «per vos utramque rogamus.» — *tot . . . testes pompamque deorum, ἓν διὰ δυοῖν;* testes sunt iuramenti tot dii in pompa circumducti.

V. 64. *Cancellis,* qui erant ante subsellium et separabant id a subsellio inferiore. — *primos . . . pedes,* digitos pedum.

V. 65—66. *Maxima . . . spectacula,* appositio ad *equos* (vs. 66.) pertinens. — *vacuo . . . circo,* postquam pompa exiit. — *prætor,* qui ludis præerat. Curam ludorum habebant temporibus reipublicæ liberæ ædiles, inde ab anno 22. a. Chr. n. prætores. — *æquo . . . carcere,* iusto; carceres enim oblique erant dispositi, ut viæ curruum certantium in area æque longæ essent.

V. 69—70. *metam spatioso circuit orbe,* quod non debebat facere; cf. adn. supra ad vs. 12: «stringam metas interiore rota.» — *admoto . . . axe,* sc. metæ admoto. — *subit,* sc. metam.

V. 71—74. *perdis,* irrita facis. — *Tende . . . lora sinistra,* certantibus a sinistra erat meta. — *revocate . . . iactatis . . . togis,* iussu populi interdum ab integro incipiebatur certamen. Spectatores hoc poscentes togas iactare solebant. — *revocate,* sc. currus certantes.

V. 78—79. *discolor agmen,* tempore imperatorum aurigæ in quattuor factiones erant distributi et diversis coloribus vestiti, unde denominatio: factio albata, russata, veneta, prasina. — *spatioque . . . patenti,* dativus; iunge cum *insurge.* — *insurge,* i. e. nitere summa ope; cf. Verg. Aen. III. 207: «remis insurgimus.» Aurigæ, cum secundum Verg. Aen. V. 197: «proni in verbera pendent», omnibus viribus spatio adniti videntur.

V. 82—84. *tenet palmam,* habet pretium victoriæ. — *argutis . . . ocellis,* pæne loquacibus; cf. Tib. II. 6, 43. (de Nemesi): «Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces.» — *Hic satis est,* rectissime scripsit Ehwald; codex Parisinus et Sangallensis habent: «*Hoc* satis est.» — *Hic,* sc. hoc loco.

III.

Lib. III. eleg. 3.

De inultis puellarum formosarum periuriis. Auctor est Horatius Carm. II. 8. (in Barinen periuram.)

V. 1—2. *Esse deos i crede* etc., vs. 1—10. poeta ante oculos habuit Hor. Carm. I. 8, 1—8: «Ulla si iuris tibi peierati

Poena, Barine, nocuisset umquam, Dente si nigro fieres vel uno Turpior ungui, Crederem: sed tu simul obligasti Perfidum votis caput, enitescis Pulchrior multo iuvenumque prodis Publica cura.» - *i crede,* hoc loco *i* idem fere significat, quod *age;* cum altero imperativo iunctum sæpe ponitur sensu ironico. Cf. Hor. Ep. I. 16, 17- 18: «I nunc, argentum et marmor vetus æraque et artis Suspice» et ibid. II. 2, 76: «I nunc et versus tecum meditare canoros»; Verg. Aen. VII. 425—426: «I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis; Tyrrhenas i sterne acies.» - - *facies,* pulchram faciem intellege; cf. adn. supra ad II. 1, 5: «facie.»

V. 5 -6. *Candida candorem roseo suffusa rubore Ante fuit: niveo lucet in ore rubor,* cf. Lygd. 4, 29—30: «Candor erat, qualem præfert Latonia Luna, Et color in niveo corpore purpureus.» - - *suffusa rubore,* colorata; cf. Tib. II. 1, 55: «minio suffusus . . . rubenti.»

V. 9 10. *Argutos,* cf. adn. supra ad III. 2, 83: «argutis ocellis.» - *radiant ut sidus ocelli,* cf. adn. supra ad II. 16, 44: «perque oculos, sidera nostra, tuos.» - *ocelli, Per quos mentitast perfida sæpe mihi,* i. e. falsum iuravit per oculos suos; ex Prop. I. 15, 33—34: «ocelli, Per quos sæpe mihi credita perfidia est.»

V. 11—14. *Scilicet æterni falsum iurare puellis Di quoque concedunt,* poeta ante oculos habuit Hor. Carm. II. 8, 9—12. (de Barine periura): «Expedit matris cineres opertos Fallere et toto taciturna noctis Signa cum cælo gelidaque divos Morte carentis.» - - *æterni,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *formaque numen habet,* pulchritudo et ipsa numen est; cf. supra II. 18, 17: «dominæ . . . numen iniquæ.» - - *Perque suos illam nuper iurasse recordor . . . oculos,* ex Lygd. 6, 47: «Etsi perque suos fallax iuravit ocellos.» — *et doluere mei,* ego solus dedi periurii poenam.

V. 16. *meriti,* peccati; eodem sensu dicitur *non meo merito,* i. e. non mea culpa.

V. 17—22. *An,* scripsit Riese; cf. infra adn. crit. ad h. l. -

invidiæ vobis . . . est, vos invisos facit. — *Cepheia virgo,* Andromeda, Cephei, regis Aethiopum, et Cassiepeæ filia; cf. Apollod. II. 43: *Κασσιέπεια ἡ Κηφέως γυνὴ Νηρηίσιν ἤρισε περὶ κάλλους καὶ πασῶν εἶναι κρείσσων ηὔχησεν. Ὅθεν αἱ Νηρηίδες ἐμήνισαν καὶ Ποσειδῶν αὐταῖς συνοργισθεὶς πλήμμυραν τε ἐπὶ τὴν χώραν ἔπεμψε καὶ κῆτος. Ἄμμωνος δὲ χρήσαντος τὴν ἀπαλλαγὴν τῆς συμφορᾶς, ἐὰν ἡ Κασσιεπείας θυγάτηρ Ἀνδρομέδα προτεθῇ τῷ κήτει βορά, τοῦτο ἀναγκασθεὶς ὁ Κηφεὺς ὑπὸ τῶν Αἰθιόπων ἔπραξε καὶ προσέδησε τὴν θυγατέρα πέτρᾳ.* — *male formosa,* infeliciter pulchra. — *quod vos habui sine pondere testes,* quod puella vos mihi testes iurisiurandi fecit et me tamen fefellit. — *mecum lusos,* una mecum elusos. — *inulta,* impune. — *redimat periuria,* impunitatem periurii impetret. — *Victima . . . decipientis ero,* me offeret illa vobis periurii piaculum.

V. 23. *sine re nomen,* inane nomen.

V. 26. *Nimirum,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *solas,* i. e. solas puellas, viros non.

V. 27—30. *Nobis,* in nos viros. — *fatifero,* mortifero. — *invicta . . . manu,* abl. qualitatis, iunge cum *Palladis.* — *curvantur . . . arcus,* cf. adn. supra ad I. 1, 23: «Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum.» — *alta . . . dextera,* augusta.

V. 33—34. *pia tura focis imponere,* ex Tib. II. 2, 3: «Urantur pia tura focis.» — *plus animi,* fortitudinis.

V. 35—36. *Iuppiter igne suos lucos iaculatur et arces Missaque periuras tela ferire vetat,* poeta ante oculos habuit Lucret. II. 1101—1104. (de deo): «fulmina mittat et ædis Sæpe suas disturbet et in deserta recedens Sæviat, exercens telum, quod sæpe nocentes Præterit exanimatque indignos inque merentes» et VI. 417—418. (de Iove): «Postremo cur sancta deum delubra suasque Discutit infesto præclaras fulmine sedes?» — *iaculatur . . . arces,* ex Hor. Carm. I. 2, 2—3: «pater . . . rubente Dextera sacras iaculatus arces.» — *arces,* templa in montibus posita, ut in Capitolio. — *Missaque periuras tela ferire vetat,* contrarium dicit Prop. II. 16, 47—48: «Non semper pla-

cidus periuros ridet amantes Iuppiter» et ibid. 52—53: «Nec sic de nihilo fulminis ira cadit: Periuras tunc ille solet punire puellas.»

V. 37—40. *Tot meruere peti,* sc. fulmine. — *Semele miserabilis arsit,* sc. fulmine icta; oravit enim Iovem, ut insignibus divinitatis ornatus ad se veniret, quod cum impetrasset, usta est fulmine, quod Iuppiter dextra tenuit. — *Semele,* mater Bacchi. — *Officio . . . suo,* sensu obsceno, ut infra III. 7, 24: «Ter Libas officio continuata meo est», ubi cf. adn. — *venturo,* ad se venturo. — *Non pater in Baccho matris haberet opus,* cf. Ov. Fast. III. 7, 717—718. (de Baccho): «puer ut posses maturo tempore nasci, Expletum patrio corpore matris opus.» Iuppiter enim Bacchum, fetum immaturum Semelæ combustæ, femori suo insuit.

V. 42. *pectus,* cor.

V. 43. *sine fraude,* impune, ut in lege duodecim tabularum apud Cic. De legg. 2, 60: «se fraude esto.»

V. 46. *tetricis,* severis, rigidis; cf. infra III. 8, 61: «tetricas Sabinas.»

V. 47—48. *dono,* indulgentia. — *oculis . . . parce . . . meis,* noli peierare per oculos meos; cf. supra vss. 13—14: «Perque suos illam nuper iurasse recordor Perque meos oculos: et doluere mei.»

IV.

Lib. III. eleg. 4.

Monita ad virum puellæ amatæ: irritam esse puellarum custodiam. Comparari possunt contraria ad virum monita supra II. 19. et Menandri fragmentum apud Stob. Flor. 74, 27. servatum, de quo plura vide infra in adnotationibus.

V. 1—4. *Dure vir,* coniunx. — *imposito teneræ custode puellae Nil agis: ingeniost quæque tuenda suo,* eadem senten-

ia Prop. II. 6, 39 –40: «nihil invitæ tristis custodia prodest: Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.» Cf. Euripides verba apud Stob. Flor. 74, 10. (fr. 1046. ed. Nauck): *Μοχθοῦμεν ἄλλως θῆλυ φρουροῦντες γένος· Ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκεν ἔνδικος, Τί δεῖ φυλάσσειν κἀξαμαρτάνειν πλέον;* et Menandri versus apud Stob. Flor. 74, 27: *Τὸ μὲν μέγιστον, οὔποτ' ἄνδρα χρὴ σοφὸν Λίαν φυλάσσειν ἄλοχον ἐν μύχοις δόμων.* — *ingenio . . . suo*, pudicitia, virtute. — *Siqua metu dempto castast, ea denique castast*, ex Tib. I. 6, 75: «Nec sævo sis casta metu, sed mente fideli.» Cf. Senec. apud Hieronym. Adv. Iovinian. l. I. p. 190. (t. III. p. 429. ed. Haase): «Quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat. Infida enim custos est castitatis necessitas et illa vere pudica dicenda est, cui cum licuit, peccare noluit.» — *non facit*, sensu obsceno. *Facere* enim absolute positum apud eroticos significat: rem Veneream peragere. Cf. Catull. 110, 2. et 5.; Iuven. 7, 239; Petron. 9, 9. et 45, 8. et 87, 9.

V. 6. *ne velit*, sc. adultera esse. Cf. supra II. 4, 16: «Aspera si visast ridigasque imitata Sabinas, *Velle*, sed ex alto dissimulare puto» et Ov. A. A. I. 274: «Hæc quoque, quam poteris credere nolle, volet.» — *ulla*, sc. femina.

V. 9—10. *Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas Semina nequitiæ languidiora facit*, cf. Menandri versus apud Stob. Flor. 74, 27.: *Ἐρᾷ γάρ ὄψις τῆς θύραθεν ἡδονῆς, Ἐν δ' ἀφθόνοισι τοῖσδ' ἀναστρωφωμένη, Βλέπουσα δ' εἰς πᾶν καὶ παροῦσα πανταχοῦ Τὴν ὄψιν ἐμπλήσασ' ἀπήλλακται κακῶν.*

V. 11—12. *vitia inritare*, excitare; cf. Ov. Met. I. 140: «Effodiuntur opes, inritamenta malorum.» — *Obsequio vinces*, cf. Tib. I. 4, 40: «Obsequio plurima vincit amor.» — *Obsequio*, indulgentia.

V. 13. *tenacem*, contumacem.

V. 15. *concessas*, laxatas, immissas.

V. 18. *Sic interdictis inminet æger aquis*, hydropicus perpetua siti laborans; poeta ante oculos habuit Hor. Carm. II. 2, 13: «Crescit indulgens sibi dirus hydrops.» — *inminet*, quærit, cupit.

V. 19—24. *Centum fronte oculos, centum cervice gerebat Argus,* cf. adn. supra ad II. 2, 45: «custos Iunonius» et Ov. Met. I. 625: «Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.» *cervice,* in occipite. — *hos unus sæpe fefellit Amor,* cf. Ov. A. A. III. 617—618: «Tot licet observent, adsit modo certa voluntas, Quot fuerant Argo lumina, verba dabis» et Menandri versus apud Stob. Flor. 74, 27: *Ὅτις γὰρ ἡμῶν καρδίαν θύραζ' ἔχει, θᾶσσον μὲν οἰστοῦ καὶ πτεροῦ χωρίζεται. Λάθοι δ' ἂν Ἄργου τὰς πυκνοφθάλμους κόρας.* — *Danae,* cf. adn. supra ad II. 19, 27: «Danaen habuisset aenea turris.» — *perennem,* ita ædificatam, ut perennis esset. — *mater erat,* sc. Persei. — *Penelope mansit . . . Inter tot iuvenes intemerata procos,* ex Prop. II. 9, 3—4: «Penelope poterat bis denos salva per annos Vivere, tam multis femina digna procis.»

V. 25. *Quidquid servatur, cupimus magis,* cf. Philodemi epigramma (Anth. Pal. XII. 173, 5—6.): *οὐ γὰρ ἕτοιμα βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον* et Menandri versum apud Stob. Flor. 74, 27: *Τό τ' ἄρσεν ἀεὶ τοῦ κεκρυμμένου λίχνον.*

V. 29—30. *adultera cara,* pretiosa. — *timor,* si vir timetur: cf. infra vs. 32.

V. 33—35. *ingenuam . . . puellam,* civem Romanam liberis parentibus ortam. — *Hic metus,* sc. metus custodiæ. — *externæ corpora gentis,* servas aut libertinas peregrinas. — *agat,* agitet, vexet. — *ego . . . feci,* mihi debetur, si casta est.

V. 37—40. *Rusticus est nimium, quem lædit adultera coniunx, Et notos mores non satis Urbis habet,* poeta ante oculos habuit Prop. II. 32, 47—48: «Qui quærit veteres Tatios durosque Sabinos, Hic posuit nostra nuper in Urbe pedem.» — *Rusticus,* inurbanus. — *non . . . sine crimine,* Mars enim compressit Iliam, virginem Vestalem. — *Iliades,* filius Iliæ sive Rheæ Silviæ.

V. 41—42. *Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat? Non possunt ullis ista coire modis,* cf. Ov. Her. 16, 288: «Lis est cum forma magna pudicitiæ» et Iuven. 10, 293: «rara est concordia formæ Atque pudicitiæ.»

V. 45. *Et cole, quos dederit . . . uxor amicos*, cf. Ov. A. A. I. 579—580. (ad amatorem): «Sint etiam tua vota viro placuisse puellæ: Utilior vobis factus amicus erit.»

V. 48. *quæ non dederis*, dona puellæ non a te, sed ab amantibus data. Cf. Ter. Eun. 1075—1078., ubi parasitus ita monet Phædriam, Thaidis amatorem, ut divitem rivalem patienter ferat: «Quod des paulumst, et necessest multum accipere Thaidem. Ut tuo amori suppeditare possint sinu sumptu tuo Omnia hæc, magis opportunus nec magis ex usu tuo Nemost. Principio et habet quod det, et dat nemo largius.»

V.

Lib. III. eleg. 5.

Somnium infidelitatem puellæ amatæ portendens. Poetæ ansam huius elegiæ scribendæ dare poterat Prop. II. 4, 15—16. (de se propter amorem superstitioso):

Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?

V. 1—2. *submisit ocellos*, quia dormienti palpebræ submittuntur. — *talia visa*, somnia.

V. 7. *sub arboreis vitabam frondibus æstum*, ex Tib. I. 1, 27—28: «Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra Arboris.»

V. 9. *variis . . . floribus*, de variis florum coloribus cogitandum.

V. 12—14. *mora*, tempus. — *vertit*, perfectum. — *Candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet Et modo siccatam, lacte, reliquit ovem*, i. e. candidior lacte, quod etc. Intolerabilis verborum ordo! — *siccatam*, emulsam; cf. Verg. Ecl. II. 42. (de capreolis sugentibus): «Bina die siccant ovis ubera.»

V. 15—16. *feliciter . . . maritus*, hoc loco *maritus* (i. e. maritatus) participii vice fungitur, quare iungitur cum adverbio.

Cf. Ov. Her. 4, 134: «fratre marita soror.» — *teneram . . . humum,* mollem.

V. 18. *ante,* iunge cum *pasto.*

V. 19. *feraci,* fecunda, ut infra III. 10, 17: «agros feraces»; ex coniectura Luciani Mueller; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 24. *iubas,* de pilis pectoris insolenter.

V. 26. *niger . . . livor,* macula livida obscurior orta est, ubi pectus vaccæ cornix rostro fodierat.

V. 28. *pabula læta,* luxuriantia.

V. 30. *herbæ fertilioris,* ut supra II. 16, 6: «fertilis herba», ubi cf. adn.

V. 32. *ferant,* significent, portendant.

V. 37—38. *color ille,* niveus color vaccæ, de quo supra vss. 10—14. — *puellæ,* dativus. — *Tu vir,* sc. vir puellæ, maritus; cf. vs. 15: «Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus.» — *in vacca compare taurus eras,* vaccæ coniugi convenienter; insolens præpositionis usus ad exemplum Propertii, apud quem *in* sæpe causam significat, ut II. 20, 11: «In te ego et æratas rumpam, mea vita, catenas», III. 8, 28: «Semper in irata pallidus esse velim», III. 12, 15: «Ter quater in casta felix, o Postume, Galla.» Hoc loco Ovidius imprimis ante oculos habuisse videtur Prop. IV. 2, 28. (de diversis Vertumni figuris): «Corbis in imposito pondere messor eram», i. e. messor factus sum convenienter corbi mihi imposito.

V. 40. *anus,* cornix anum significat, quia diu vivit; cf. adn. supra ad II. 6, 35: «Illa quidem sæclis vix moritura novem.»

V. 42. *Frigidus in viduo destituere toro,* ut Ov. Her. 1, 7: «Non ego deserto iacuissem frigida lecto» et 19, 69: «Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?» Cf. Catull. 68, 29: «Frigida deserto tepefactet membra cubili.»

V. 45—46. *sanguis ab ore Fugit,* i. e. expallui. — *alta,* profunda, tenebrosa; cf. Senec. Agam. 763—764: «fugit lux alma et obscurat genas (i. e. oculos) Nox alta.»

VI.

Lib. III. eleg. 6.

Ad torrentem rapidum, qui retinet amatorem ad amicam properantem, irritæ preces, quibus adiunguntur fabulæ eroticæ ad fluviorum deos pertinentes.

In principio (vss. 1—10.) et in fine (vss. 85—106.) poeta in suum usum convertit Antiphili epigramma, quod Anth. Pal. IX. 277. legitur.

Λαβροπόδη χείμαῤῥε, τί δὴ τόσον ὧδε κορύσσῃ,
Πεζὸν ἀποκλείων ἴχνος ὁδοιπορίης;
Ἢ μεθύεις ὄμβροισι καί οὐ Νύμφαισι διαυγὲς
Νᾶμα φέρεις, θολεραῖς δ' ἠρανίσαι νεφέλαις.
Ὀψομαι ἠελίῳ σε κεκαυμένον, ὅστις ἐλέγχειν
Καὶ γόνιμον ποταμῶν καὶ νόθον οἶδεν ὕδωρ.

Fabulas Græcas vss. 24—44. enarratas poterat ex quovis enchiridio mythologorum sumere; fabulam autem de Ilia (vss. 45—82.) iam Ennius narraverat in Annalibus.

V. 4. *traiecto . . . rudente,* ope rudentis in utraque fluminis ripa defixi; Hungarice *kompkötél,* Germanice *Fährseil.*

V. 5. *refugi,* abhorrui, timui.

V. 7—8. *Nunc ruis adpcsito nivibus de monte solutis Et turpi crassas gurgite volvis aquas,* cf. Antiphili epigramma ad torrentem (Anth. Pal. IX. 277, 3—4.): *Ἢ μεθύεις ὄμβροισι καὶ οὐ Νύμφαισι διαυγὲς Νᾶμα φέρεις, θολεραῖς δ' ἠρανίσαι νεφέλαις* — *adposito,* vicino.

V. 11—12. *non datur artibus ullis Ulterior nostro ripa premenda pedi,* cf. Antiphili epigramma ad torrentem (Anth. Pal. IX. 277, 1—2.): *Λαβροπόδη χείμαῤῥε, τί δὴ τόσον ὧδε κορύσσῃ Πεζὸν ἀποκλείων ἴχνος ὁδοιπορίης;*

V. 13—16. *quas habuit pinnas Danaeius heros,* Perseus, filius Danaes, habuit talaria, i. e. soleas alatas; cf. Ov. Metam. IV.

665—667: «pennis ligat ille resumptis Parte ab utraque pedes teloque accingitur unco Et liquidum motis talaribus aera findit». — *densum . . . angue caput,* Perseus abscidit caput Medusæ, in quo pro capillis angues erant. — *currum, de quo Cerealia primum Semina venerunt in rude missa solum,* Ceres currum anguibus tractum, quo per aera vehi solebat, Triptolemo, Celei filio dedit, ut is curru illo vectus agriculturam per totum orbem terrarum propagaret; cf. Ov. Met. V. 642—647: «geminos dea fertilis angues Curribus admovit frenisque coercuit ora Et medium cæli terræque per aera vecta est Atque levem currum Tritonida misit in urbem Triptolemo partimque rudi data semina iussit Spargere humo» et Trist. III. 8, 1—2: «Nunc ego Triptolemi cuperem consistere curru, Misit in ignotam qui rude semen humum». — *rude . . . solum,* eo usque non cultum.

V. 19—21. *ripis . . . capacibus,* quæ magnam aquarum copiam capere possunt. Habent torrentes plerumque ripas altas; cf. infra vs. 86: «Nec capit admissas alveus altus aquas». — *æternus eas,* fluas, ut infra vs. 98: «perennis eas». — *fine tuo,* intra fines tuos, in alveo. — *invidiæ . . . ferendæ,* dativus, supple: non eris par invidiæ ferendæ. Eodem modo dicitur: non est solvendo. Cf. Ov. Met. X. 628: «Non erit invidiæ victoria nostra ferendæ».

V. 25—26. *Inachus,* fluvius in Argolide. — *in Melie Bithynide pallidus isse,* cf. Ov. A. A. I. 711—712: «Pallidus in Side silvis errabat Orion; Pallidus in lenta Naide Daphnis erat». Poeta imitatur Prop. I. 13, 8: «in quadam tardis pallescere curis» et II. 8, 28: «Semper in irata pallidus esse velim». De usu præpositionis *in* cf. adn. supra ad I. 7, 34: «sævus in hoste». — *Melie,* nympha. — *pallidus,* amore pallens; cf. adn. supra ad II. 7, 9: «Sive bonus color est». — *isse,* fluxisse. — *gelidis . . . vadis,* gelidæ eius undæ incaluerunt.

V. 28. *rapuit vultus . . . tuos,* oculos, ut supra II. 19, 19: «quæ nostros rapuisti nuper ocellos», ubi vide adn. — *Xanthe,* fluvius in Troade ab Homero celebratus. — *Necæra,* nympha.

V. 29—30. *Alpheon diversis currere terris Virginis Arcadiæ certus adegit amor*, Arethusam, nympham Arcadiam, comitem Dianæ, Alpheus, amnis Elidis, amore incensus fugientem persecutus est sub mari usque ad Ortygiam, insulam Syracusis vicinam, ubi fons Arethusa permansit. Cf. Verg. Aen. III. 692—696: «Sicanio prætenta sinu iacet insula contra Plemyrium undosum: nomen dixere priores Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem Occultas egisse vias subter mare, qui nunc Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis». — *diversis*, longinquis. — *Virginis Arcadiæ*, genit. obiect. — *certus*, firmus, constans; cf. Ov. Met. IV. 156: «quos certus amor, quos hora novissima iunxit».

V. 31—32. *Xutho*, ex coniectura N. Heinsii; codices habent: *Xantho*. Xuthus erat Hellenis filius, Aeoli et Dori frater, qui uxorem duxit Creusam, filiam Erechthei, regis Attici. — *Penee*, fluvius Thessaliæ. — *Phthiotum terris*, in Thessalia; terra enim Phthiotis erat pars Thessaliæ. Hoc loco pars pro toto: nam Peneus in Thessalia quidem, sed non in Phthiotide fluit. — *Phthiotum*, pro: Phthiotarum.

V. 33. *Asopon*, Asopus est fluvius Bœotiæ. — *Martia Thebe*, Thebana; nam Thebani orti sunt ex dentibus draconis a Cadmo necati, draco autem erat filius Martis. Cf. Ov. Met. III. 32: «Martius anguis» et ibid. 531: «proles Mavortia», i. e. Thebani. Ceterum Thebe, Asopi uxor, apud alios scriptores non occurrit, sed sæpius commemoratur Thebe, Asopi filia (ut e. g. Herod. V. 80.), a qua urbs Thebarum denominata esse fertur.

V. 35—37. *Cornua si tua nunc ubi sint, Acheloe, requiram, Herculis irata fracta querere manu*, Hercules cum Acheloo pro Deianira depugnavit et alterum cornu eius fregit. — *Cornua . . . tua*, cornua habent plerumque dii fluviorum. — *Acheloe*, fluvius inter Aetoliam et Acarnaniam fluens. — *Nec tanti Calydon nec tota Aetolia tanti*, Deianira erat filia Oenei, regis Calydonii in Aetolia.

V. 38—42. *dives . . . Nilus*, quia inundatione sua Aegyptum fertilem et divitem facit. — *septena per ostia*, cf. adn. supra

ad II. 13, 10: «Per septem portus». — *Qui patriam tantæ tam bene celat aquæ*, fontes Nili antiquis ignoti erant. — *Euanthe*, scripsit Riese ex codice Parisino, qui habet *Ebanthe;* vulgata lectio erat *Euadne*. Ceterum Euanthe, Asopi filia, apud alios scriptores non occurrit. — *Asopide*, cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Vincere*, exstinguere.

V. 43–44. *ut amplecti Salmonida posset Enipeus*, non Enipeus ipse, sed Neptunus figura Enipei indutus compressit Tyro, filiam Salmonei. — *Enipeus*, fluvius Thessaliæ. — *Cedere iussit aquam*, discedere; cf. Hom. Od. XI. 238. sqq. de Tyro; *Ἣ ποταμοῦ ἠράσσατ' Ἐνιπῆος θείοιο, Ὃς πολὺ κάλλιστος ποταμῶν ἐπὶ γαῖαν ἵησιν, Καί ῥ' ἐπ' Ἐνιπῆος πωλέσκετο καλὰ ῥέεθρα. Τῷ δ' ἄρα εἰσάμενος γαιήοχος ἐννοσίγαιος Ἐν προχοῇς ποταμοῦ παρελέξατο δινήεντος. Πορφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθη οὔρεϊ ἴσον, Κυρτωθέν, κρύψεν δὲ θεὸν θνητήν τε γυναῖκα;* Prop. I. 13, 21–22: «Non sic Hæmonio Salmonida mixtus Enipeo Tænarius facili pressit amore deus».

V. 45–48. *Nec te prætereo*, agitur de fluvio Aniene, ut infra vs. 51. elucet. — *Tiburis Argei*, Tibur conditum est a nepotibus Amphiarai, auguris Argivi, i. e. a Tiburto, Cora et Catillo; ex Hor. II. 6, 5: «Tibur Argeo positum colono», unde Ovidius insolitam adiectivi formam *Argei* (pro *Argivi*) sumpsit. — *pomifera arva*, ex Prop. IV. 7, 81: «Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis». — *pomifera*, rectissime scripsit Bentley; codices habent: *spumifer*. — *Ilia cui placuit*, Ilia sive Rhea Silvia, mater Romuli et Remi, quæ auctore Ennio (in Annalibus) in amnem Tiberim iussu Amulii regis Albanorum præcipitata est, ut Porphyr. ad Hor. Carm. I. 2, 18. narrat. Deo Tiberino eam nupsisse tradit Hor. Carm. I. 2, 17—20: «Iliæ dum se nimium querenti Iactat ultorem Iove non probante uxorius amnis». Ovidius alios scriptores secutus Anieni eam dat in matrimonium. — *horrida cultu*, neglecta; lugebat enim filios ab Amulio necari iussos. — *Ungue notata comas . . . genas*, quod lugentes faciebant; cf. Tib. I. 1, 67—68: «Tu manes ne læde meos, sed parce solutis Crinibus et teneris, Delia, parce genis».

V. 49—52. *patruique nefas,* Amulii crudelitatem, qui geminos eius in Tiberim præcipitari iussit. Iliæ pater erat Numitor, frater Amulii. — *delictaque Martis,* qui eam, virginem Vestalem, vi (cf. Liv. I. 4.) compressit. — *loca sola,* deserta. — *Anien,* rarior nominativi forma pro *Anio.* — *animosus,* quia rapidus est. — *Raucaque . . . ora,* propter sonum undarum.

V. 53—58. *teris,* sc. pedibus. — *ab Idæo Laomedonte,* Ilia originem duxit ab Aenea Troiano, cuius pater Anchises, avus Capys, proavus Assaracus erat. Assaraci frater erat Ilus, cuius filius, Laomedon, Priamum genuit. — *Idæo,* Troiano; Ida est enim mons in Troade. — *quo cultus abiere tui,* cur es inornata. — *Vitta nec evinctas impedit alba comas,* ut Tib. I. 6, 67—68.: «quamvis non vitta ligatos Impediat crines». — *Vitta alba,* insigne virginum Vestalium. — *madidos lacrimis corrumpis ocellos,* ex Tib. II. 6, 43: «Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces». — *Pectoraque . . . plangis,* quod fecerunt lugentes.

V. 59. *Illa habet et silices et vivum in pectore ferrum,* ex Tib. I. 1, 63—64: «non tua sunt duro præcordia ferro Vincta nec in tenero stat tibi corde silex». — *vivum . . . ferrum,* in statu naturali, non arte politum; cf. Verg. Aen. I. 167: «vivoque sedilia saxo».

V. 62. *amnes,* i. e. undæ meæ, ut infra vs. 64: «flumina nostra».

V. 67—68. *oculos in humum deiecta modestos,* cf. supra II. 4, 11: »oculos in se deiecta modestos». — *Spargebat teneros flebilis imbre sinus,* ut Catull. 67, 56: «Cessarent tristique imbre madere genæ». — *flebilis,* sensu activo.

V. 71—72. *Sera,* pro adverbio: sero; iunge cum *Edidit* (vs. 72.). — *indignos,* quia innocens erat neque digna, quæ tàm flebiles sonos ederet.

V. 73—74. *lecta forent . . . ossa,* mortui enim ossa in rogo cremata colligebantur a lugentibus et in urna deposita condebantur sepulcro.

V. 75—78. *tædas,* nuptiales. — *Iliacis . . . focis,* æternis

Vestæ ignibus, quos Aeneas ex Troia secum vexit in Italiam. — *adultera,* incesta, quia Vestalis virginitatem amisit. — *Desint,* pereant. — *famosus,* dedecorosus.

V. 79. *vestem tumidis prætendit ocellis,* quod facere solebant, qui morti se devovebant; cf. Hor. Sat. II. 3, 37—38: «cum vellem mittere operto Me capite in flumen» et Liv. IV. 12: «multi ex plebe spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis in Tiberim se præcipitarunt». — *tumidis,* propter fletum.

V. 80 81. *lubricus,* mobilis, leviter fluens; cf. Hor. Epod. 13, 14: «lubricus et Simois». — *socii iura dedisse tori,* uxorem duxit legitimam.

V. 83. *Te quoque,* torrentem iterum alloquitur poeta.

V. 86. *admissas . . . aquas,* celeriter currentes, ut supra I. 8, 50. — *alveus altus,* cf. adn. supra ad vs. 19: «ripis capacibus».

V. 89. *legitimum . . . flumen,* perenne.

V. 91—92. *rivis . . . caducis,* non perennibus, facile exarescentibus. — *certa domus,* certus alveus; torrentes enim interdum alveum mutare solent.

V. 94. *pigra . . . hiems,* quia tum terra nihil fert et labores quoque agricolarum cessant; cf. Hor. Carm. IV. 7, 11—12: «Pomifer autumnus fruges effuderit et mox Bruma recurrit iners» et Tib. I. 2, 29: «Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis».

V. 98. *perennis eas,* fluas, ut supra vs. 20: «Sic æternus eas».

V. 102—104. *indigne,* indigno loco. — *Nescio quem hunc,* contemptim dictum. — *Acheloon,* cf. vs. 35. — *Inachon,* cf. vs. 25. — *Nile,* cf. vs. 39.

V. 105—106. *At tibi . . . sint rapidi soles,* cf. Antiphili epigramma (Anth. Pal. IX. 277. 5—6.): *Ὄψομαι ἠελίῳ σε κεκαυμένον, ὅστις ἐλέγχειν Καὶ γόνιμον ποταμῶν καὶ νόθον οἶδεν ὕδωρ.* — *non candide,* non probe; cf. adn. supra ad II. 18. 29: «Candida Penelope». — *rapidi soles,* arefacientes, vastantas. Nimius enim solis calor omnia perdit. Cf. Ov. Pont. IV. 8, 29: «Tunc ego tura feram rapidis sollemnia flammis».

VII.

Lib. III. eleg. 7.

De nocte cum puella pulcherrima, sed sine Venere peracta. Ovidius ante oculos habuit Tib. I. 5, 39—42., ubi poeta narrat se, cum Deliam amaret, Venere alia frui non potuisse:

Sæpe aliam tenui: sed cum iam gaudia adirem.
Admonuit dominæ deseruitque Venus.
Tunc me discedens devotum femina dixit,
A pudet! et narrat scire nefanda meam.

Præterea imitatur Philodemi epigramma (Anth. Pal. XI. 30.):

Ὁ πρὶν ἐγὼ καὶ πέντε καὶ ἐννέα, νῦν, Ἀφροδίτη,
Ἓν μόλις ἐκ πρώτης νυκτὸς ἐς ἠέλιον.
Οἴμοι καί ποτε τοῦτο κατὰ βραχὺ (πολλάκι δ' ἤδη
Ἡμᾶνες) θνήσκει τοῦτο τὸ τερμόνιον.
Ὦ γῆρας, γῆρας, τί ποθ' ὕστερον ἦν ἀφίκηαι
Ποιήσεις, ὅτε νῦν ἅδε μαραινόμεθα.

Idem fere argumentum tractatur Priap. 80. et 82.

V. 1—4. *At non* etc., cum vss. 1—4. cf. Rufini epigramma (Anth. Pal. V. 47.): *Πολλάκις ἠρασάμην σε λαβὼν ἐν νυκτί, Θάλεια, Πληρῶσαι θαλέρῃ θυμὸν ἐρωμανίῃ. Νῦν δ' ὅτε μοι γυμνὴ γλυκεροῖς μελέεσσι πέπλησαι, Ἔκλυτος ὑπναλέῳ γυῖα κέκμηκα κόπῳ.* — *At non formosast, at non bene culta puella.* hunc versum ante oculos habuit, idem fere argumentum tractans, auctor Priap. 80, 1: «At non longa bene est, bene non stat mentula crassa». — *bene culta,* elegantur ornata. — *votis,* cupidine. — *tenui,* amplexus sum, ut Tib. I. 5, 39—40: «Sæpe aliam tenui: sed cum iam gaudia adirem, Admonuit dominæ deseruitque Venus». — *iacui pigro . . . toro,* i. e. piger iacui in toro, ut infra vs. 15: «Truncus iners iacui». — *crimen onusque,* onus scelestum, ut Ov. Her. 4. 58: «Enixa est utero

crimen onusque suo» et 11, 66: «Et positum est uteri crimen onusque mei». — *onusque*, ut infra vs. 15: «inutile pondus».

V. 6. *parte iuvante*, voluptatem dante; hoc loco membrum virile significat, membrum femineum Ov. A. A. II. 307—308. (ad amatorem): «Ipsos concubitus, ipsum venerere licebit, *Quod iuvat*» (i. e. pudenda puellæ). Cf. Ov. A. A. III. 799—800: «Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella est, Quo pariter debent femina virque frui».

V. 8—10. *Bracchia Sithonia candidiora nive*, ex Catull. 80, 1—2: «quare rosea ista labella Hiberna fiant candidiora nive». — *Sithonia*, Thracia; frigora autem Thraciæ sæpe commemorantur a poetis Græcis. — *Osculaque inseruit cupide luctantia linguis Lascivum femori supposuitque femur*, ex Tib. I, 8, 25—26: «sed longa dedisse Oscula, sed femori conseruisse femur». — *Osculaque . . . luctantia linguis*, ex Tib. I. 8, 37—38: «Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis Oscula». Ad rem cf. adn. supra ad II. 5, 24: «Illa . . . lingua nexa fuisse». — *inseruit*, immiscuit ceteris blanditiis; cf. Ov. A. A. I. 663: «Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?» — *Lascivum femori supposuitque femur*, ut Catull. 69, 2: «tenerum supposuisse femur».

V. 12. *publica verba*, inter amantes usitata.

V. 13. *Tacta . . . mea membra cicuta*, malagmate ex cicuta facto utebantur antiqui ad inflammatas partes corporis refrigerandas; cf. Plin. N. H. XXV. 153: «Fit ex eo (sc. ex suco cicutæ) et ad refrigerandum stomachum malagma». — *membra*, sensu obsceno.

V. 15—18. *species*, i. e. species (imago) inanis viri, non vir verus. — *Et non exactum*, non erat certum. — *Quæ mihi venturast . . . senectus, cum desit numeris ipsa iuventa suis*, ex Philodemi epigrammate (Anth. Pal. XI. 30, 5—6): *Ὦ γῆρας, γῆρας, τί ποθ' ὕστερον, ἦν ἀφίκηαι, Ποιήσεις, ὅτε νῦν ὧδε μαραινόμεθα.* — *numeris . . . suis*, officiis, muneribus.

V. 19. *quare*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit ad h. l.

V. 21—26. *flammas . . . pias*, ignes æternos Vestæ. — *æterna*

sacerdos, Vestalis, quæ semper virgo manet. - *Surgit,* sc. ex lecto. - *Chlide . . . Pitho . . . Libas,* nomina ficta meretricia. — *officio . . . meo,* sensu obsceno ex Prop. II. 22, 23—24: «sæpe est experta puella Officium tota nocte valere meum». - *continuata,* i. e. brevissimo tempore ter peregi cum ea rem Veneream; poeta ante oculos habuit Catull. 32, 7—8: «paresque nobis Novem continuas fututiones». — *Exigere,* poscere, - *angusta nocte,* brevi. - *numeros sustinuisse novem,* ex Philodemi epigrammate (Anth. Pal. XI. 30, 1—2.): *Ὁ πρὶν ἐγὼ καὶ πέντε καὶ ἐννέα, νῦν, Ἀφροδίτη, Ἓν μόλις ἐκ πρώτης νυκτὸς ἐς ἠέλιον.*

V. 27—30. *Num mea Thessalico languent devota veneno Corpora?* ut Tib. I. 5, 41—42: «Tum me discedens devotum femina dixit . . . et narrat scire nefanda meam». Solebant enim puellæ magicæ artis peritæ viros amatos devovere, ne illi aliis feminis viros se præstare possent. - *Thessalico,* magico; cf. adn. supra ad I. 14, 40: «Hæmonia aqua». - *num misero carmen et herba nocent,* carmen magicum et philtrum ex herbis factum; ex Tib. I. 8, 17—18: «Num te carminibus, num te pallentibus herbis Devovit tacito tempore noctis anus?» — *Sagave poenicea defixit nomina cera Et medium tenuis in iecur egit acus,* ut Ov. Her. 6, 91—92: «Devovet absentis simulacraque cerea figit Et miserum tenuis in iecur egit acus». - *poenicea defixit nomina cera,* magico ritu devovit me ope imaginis cereæ. In magia enim amatoria virum devovendum repræsentabat pupa cerea; cf. Verg. Ecl. 8, 79—80. et Hor. Sat. I. 8, 30—33. — *poenicea . . . cera,* rubra; rubri coloris erat plerumque cera etiam in tabulis ceratis. Cf. adn. supra ad I. 12, 11: «minio penitus medicata». — *defixit,* proprie dicitur de devotione magica; cf. Senec. Ben. 6, 35, 1: «caput (illius) sanctum dira imprecatione defigis»; Plin. N. H. XXVII. 19: «Defigi diris imprecationibus nemo non metuit». - *nomina,* erat enim nomen devovendi in formulis devotionum semper pronuntiandum, unde Ov. Ib. 93—95: «Neve minus noceant fictum exsecrantia nomen Vota, minus magnos commoveantve

deos: Illum ego devoveo, quem mens intellegit, Ibin». — *in iecur egit acus,* i. e. acu transfixit imaginem ceream. — *in iecur,* ubi amoris sedes; cf. Schol. ad Pers. Sat. 1, 12: «dicunt homines splene ridere, felle irasci, iecore amare, corde sapere».

V. 31. *Ceres,* frumentum. — *vanescit,* vilescit.

V. 33—36. *cantataque,* cantibus magicis devota, incantata. — *fluunt,* decidunt; cf. adn. supra ad II. 14, 25. — *nervos,* sensu obsceno: membra virilia; cf. Hor. Epod. 12, 19—20: «Cuius in indomito constantior inguine nervus, Quam nova collibus arbor inhæret». — *impatiens,* sc. laboris Venerei; cf. Ov. Trist. IV. 10, 37: «Nec patiens corpus nec mens fuit apta labori». — *latus,* lumbus, ut supra I. 8, 48.

V. 37. *pudor . . . facti,* rei, quæ mihi accidit: quod virum me præstare statim non potui. — *pudor ipse nocebat,* locum imitatur Priap. 80, 7—8. (de eadem re): «Sed potuit damno nobis novitasque pudorque Esse».

V. 39. *vidi tantum tetigique,* nam cetera peragere non potui.

V. 41—42. *Illius ad tactum Pylius iuvenescere possit,* cf. Automedontis epigramma (Anth. Pal. V. 129, 5—6.): *Γλωττίζει, κνίζει, περιλαμβάνει, ἤν δ' ἐπιρίψῃ Τὸ σκέλος. ἐξ Ἅιδου τὴν κορύνην ἀνάγει.* *Pylius,* Nestor, rex Pyli, senectutis exemplum. — *Tithonosque,* cf. adn. supra ad I. 13, 1: «a seniore marito».

V. 44. *concipiam . . . preces,* conceptis verbis (i. e. certis formulis) pronuntiem; cf. Cat. De agr. 139, 1. (de formulis precum): «Sic verba concipito».

V. 47—48. *recipi,* sc. in domum puellæ; proprie dicitur in poesi amatoria de amante a puella recepto; cf. Prop. II. 22, 48: «Cur recipi, quem non noverit ille, vetat?» — *Oscula ferre,* dare; cf. supra II. 5, 25, 26. (de osculis): «Qualia non tulerit fratri germana severo, sed tulerit cupido mollis amica viro». — *proximus esse,* amicus intimus.

V. 49—52. *Quo mihi fortunæ tantum? quo regna sine usu?* ex Hor. Ep. I. 5, 12: «Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?» — *Quid nisi* etc., vss. 50—52. poeta imitatur

Hor. Sat. I. 1, 68, 72. (de avaro): «Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina; quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur: congestis undique saccis Indormis inhians, et tamquam parcere sacris Cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis». — *dives avarus,* qui partis uti metuit. — *Sic aret mediis taciti vulgator in undis,* ut Ov. A. A. II. 606: «Garrulus in media Tantalus aret aqua». — *aret,* sitit, ex Prop. II. 17, 5—6: «Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte, Ut liquor arenti fallat ab ore sitim». — *taciti vulgator,* secreti proditor; cf. adn. supra ad II. 2, 44: «hoc illi garrula lingua dedit». — *Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet,* cf. supra II. 2, 43—44: «poma fugacia captat Tantalus».

V. 54. *Protinus ut sanctos possit adire deos,* debebant enim, qui mane ad sacra accedere volebant, nocte antecedente in casto esse, i. e. concubitu abstinere; cf. Tib. II. 1, 11—12: «discedat ab aris, Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus».

V. 55—56. *Sed, puto, non blandast! non optima perdidit in me Oscula! non omni sollicitavit ope,* tria genera irritamentorum Veneris distinguit poeta: blanda verba, oscula et fortiora irritamenta; eodem modo supra vss. 9—11: «Osculaque inseruit cupide luctantia linguis Lascivum femori supposuitque femur Et mihi blanditias dixit». Cf. supra II. 19, 17—18: «Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat; Oscula, di magni, qualia quotque dabat.» — *non blandast,* nescit blanditias dicere. De blandis verbis, irritamentis Veneris, cf. Juven. 6, 194—197: «quotiens lascivum intervenit illud *Ζωὴ καὶ ψυχή,* modo sub lodice relictis Uteris in turba. Quod enim non excitat inguen Vox blanda et nequam? digitos habet» et Schol. ad h. l.: «Quibus sermonibus Græce mulieres in concubitu blandiri solent»; Prop. I. 4, 13—14: «quæ Gaudia sub tacita dicere veste libet»; Martial. VI. 23, 3: «Tu licet et manibus, blandis et vocibus instes» et X. 68, 5—7: «*Κύριε μου, μέλι μου, ψυχή μου* . . . Lectulus has voces . . . audiat». *blandast,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 57. *potuit,* potuisset.

V. 61- 62. *Phemius,* citharœdus clarus, de quo Hom. Od. I. 153- 155. *Thamyran,* ut Prop. II. 22, 19: «Thamyræ», alibi *Thamyris,* citharœdus Thracius, de quo Hom. Il. II. 594. sqq.: *ἔνθα τε Μοῦσαι Ἀντόμεναι θάμυριν τὸν Θρήϊκα παῦσαν ἀοιδῆς, Οἰχαλίηθεν ἐόντα παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος. Στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικήσεμεν, εἴ περ ἂν αὐταὶ Μοῦσαι ἀείδοιεν, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο. Αἱ δὲ χολωσάμεναι πηρὸν θέσαν, αὐτὰρ ἀοιδὴν θεσπεσίην ἀφέλοντο καὶ ἐκλέλαθον κιθαριστύν.* Cf. Prop. II. 22, 19—20: «Me licet et Thamyræ cantoris fata sequantur, Numquam ad formosas, invide, cæcus ero».

V. 64—66. *Quos ego non finxi disposuique modos,* diversas Veneris figuras intellege; poeta ante oculos habuit Tib. II. 6, 51—52: «tunc mens mihi perdita fingit, Quisve meam teneat quot teneatve modis» et I. 9, 63 -64: «Illa nulla queat melius consumere noctem Aut operum varias disposuisse vices». — *disposuisse,* i. e. quo ordine diversæ figuræ se excipere debeant. — *Nostra tamen iacuere velut præmortua membra,* poeta ante oculos habuit Philodemi epigramma (Anth. Pal. XI. 30, 3- 4.): *Οἴμοι καί ποτε τοῦτο κατὰ βραχύ (πολλάκι δ' ἤδη Ἡμιθανές) θνήσκει τοῦτο τὸ τερμόνιον.* — *præmortua,* iam pridem mortua. — *membra,* sensu obsceno. — *hesterna languidiora rosa,* ex Prop. II. 34, 59: «Me iuvet hesternis positum languere corollis». — *hesterna,* heri decerpta.

V. 67—70. *Quæ nunc ecce* etc., vss. 67—70. poeta respexisse videtur Stratonis epigramma (Anth. Pal. XII, 216.): *Νῦν ὀρθὴ, κατάρατε, καὶ εὔτονος, ἡνίκα μηδέν, Ἡνίκα δ' ἦν ἐχθές, οὐδὲν ὅλως ἀνέπνεις.* Cf. etiam Scythini epigramma (Anth. Pal. XII. 232.): *Ὀρθὸν νῦν ἕστηκας, ἀνώνυμον, οὐδὲ μαραίνῃ, Ἐντέτασαι δ' ὡς ἂν μή ποτε παυσόμενον, Ἀλλ' ὅτε μοι Νεμεσηνὸς ὅλον παρέκλινεν ἑαυτόν, Πάντα διδοὺς ἃ θέλω, νεκρὸν ἀπεχρέμασαι.*

V. 71. *per te deprensus inermis,* eadem verba in fine hexametri supra II. 10, 3.

V. 74. *Molliter admota sollicitare manu,* cf. Priap. 82, 23—24. (de mentula): «Puella nec iocosa te levi manu Fovebit adprimetve lucidum femur».

V. 75. *consurgere*, ut supra II. 15, 25: «mea membra libidine surgent».

V. 79—80. *traiectis Aeœa venefica lanis Devovet*, i. e. vittis laneis imagini tuæ (cf. supra vss. 29—30.) circumdatis; solebant enim sagæ in magia amatoria imaginem viri devovendi liciis circumdare. Poeta ante oculos habuit Verg. Ecl. 8. 73—75., ubi saga Daphnidis amati imaginem his verbis devovet: «Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo terque hæc altaria circum Effigiem duco» et Prop. III, 6, 30. (de magia amatoria): «Cinctaque funesto lanea vitta' toro». — *traiectis*, circumdatis, circumvolutis, ad exemplum Verg. Aen. V. 488—489: «volucrem *traiecto* in fune columbam . . . malo suspendit ab alto», ubi agitur de fune, qui circumvolutus est malo. — *Aeœa venefica*, Colchica, qualis olim Medea erat; cf. adn. supra ad I. 8, 5: «Aeæaque carmina».

V. 81. *tunica velata soluta*, eadem verba in fine hexametri supra III. 1, 51., ubi vide adn.

V. 84. *sumpta . . . aqua*, lavatio post rem Veneream peractam commemoratur etiam Ov. A. A. III. 96: «Quid nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?» et ibid. 620: «Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ».

VIII.

Lib. III. eleg. 8.

Propertius II. 24, 16. sqq. et Tibullus II. 4, 13. sqq. apud puellas contra lucrum nihil valere poemata queruntur. Quorum exempla secutus scripsit Ovidius hanc elegiam. Comparari potest similis argumenti carmen supra I. 10.

V. 1—4. *Et quisquam* etc., ad vss. 1—4. cf. Ov. A. A. II. 273—276: «Quid tibi præcipiam teneros quoque mittere versus? Ei mihi! non multum carmen honoris habet! Carmina laudantur, sed munera magna petuntur: Dummodo sit dives,

barbarus ipse placet». — *suscipit*, discit; cf. infra vs. 25: «Discite, qui sapitis, non quæ nos scimus inertes». — *tenerum... carmen*, poesis amatoria. — *dotes*, pretium.

V. 5—6. *Cum pulchre dominæ nostri placuere libelli, Quo licuit libris, non licet ire mihi*, poeta ante oculos habuit Prop. II. 24, 21—22: «Me modo laudabas et carmina nostra legebas: Ille tuus pennas tam cito vertit amor».

V. 8. *huc illuc . . . eo*, a limine repulsus incertus erro.

V. 9—11. *recens dives*, modo dives factus. — *censu*, sc. equestri. — *sanguine pastus*, saginatus, i. e. ditatus. — *eques*. Ovidius opponit se vetere equestri familia ortum militi ignobili, qui præda ditatus equestri ordini ascriptus est; cf. infra III. 15, 5—6. (poeta de se): «Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres, Non modo militiæ turbine factus eques» et Trist. IV, 10, 8: «Non sum fortunæ munere factus eques». — *Hunc potes amplecti formosis, vita, lacertis*, poeta ante oculos habuit Prop. II. 16, 23—24. (de prætore Illyrico Cynthiæ): «septenas noctes seiuncta cubaris, Candida tam fœdo bracchia fusa viro».

V. 14—15. *latus*, lumbus, ut supra III. 7, 36. — *quod tibi servit*, sensu obsceno, ut supra III. 7, 24: «officio meo», ubi cf. adn. — *serum*, sero partum. — *aurum*, anulus aureus, insigne equitum Romanorum.

V. 23—27. *Musarum purus Phœbique sacerdos*, ex Lygd. 4, 43—44: «casto nam rite poetæ Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent». — *purus*, sc. cæde. — *rigidas . . . fores*, crudeles. — *carmen inane*, inutile. — *quæ nos scimus inertes*, ex mente inimicorum poeseos dictum; cf. supra I. 15, 1—2: «Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos Ingeniique vocas carmen inertis opus?» — *castra sequi*, ut Tib. II. 6, 1: «Castra Macer sequitur». — *Proque bono versu primum deducite pilum*, i. e. nolite versum deducere, sed pilum; *deducere* (i. e. tamquam nere) versum: ex Hor. Sat. II. 1, 3—4: «similesque meorum Mille die versus deduci posse»; cf. Hor. Ep. II. 1, 225: «tenui deducta poemata filo» et Prop. 1, 16, 41: «tibi

sæpe novo deduxi carmina versu». — *primum deducite pilum*, estote primipilares, i. e. centuriones manipuli primi triariorum. Primipilares enim inter centuriones legionum principem obtinebant locum, emeriti maiore pecuniæ summa donabantur et sæpe equestri ordini sunt adscripti.

V. 29—34. *Iuppiter admonitus* etc., vss. 29—34. poeta ante oculos habuit Hor. Carm. III. 16, 1—8: «Inclusam Danaen turris aenea Robustæque fores et vigilum canum Tristes excubiæ munierant satis Nocturnis ab adulteris, Si non Acrisium, virginis abditæ Custodem pavidum Iuppiter et Venus Risissent: fore enim tutum iter et patens Converso in pretium deo». Cf. Parmenionis epigramma (Anth. Pal. V. 33.): *Ἐς Δανάην ἐρεύσας, Ὀλύμπιε, χρυσός, ἵν' ἡ παῖς Ὡς δώρῳ πεισθῇ, μὴ τρέσῃ ὡς Κρονίδην* et Pauli Silentiarii (Anth. Pal. V. 217, 1—4.): *Χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν ἄμμα χορείας Ζεὺς διαδὺς Δανάας χαλκελάτους θαλάμους. Φαμὶ λέγειν τὸν μῦθον ἐγὼ τάδε· χάλκεα νικᾷ Τείχεα καὶ δεσμοὺς χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ.* — *Corruptæ . . . virginis*, Danaes; cf. adn. supra ad II. 19, 27: «Danaen habuisset aenea turris». — *pretium ipse . . . fuit*, in aurum mutatus. — *durus pater*, Acrisius. — *severa*, severis moribus. — *se in munera vertit*, ut infra III. 12, 33: «Iuppiter se transformat in aurum», Hor. Carm. III. 16, 8: «Converso in pretium deo». Cf. Plaut. Amph. prol. 121: «Iuppiter . . . se vertit in imaginem Amphitruonis». — *se . . . vertit*, ex coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Præbuit ipsa sinus*, amphibolia: sinus enim et pectus significat et sinum vestis, ubi pecuniam ponebant antiqui; cf. adn. supra ad I. 10, 18: «non habet ille sinum». — *dare . . . dedit*, sensu obsceno; cf. adn. supra ad I. 4, 70: «dedisse».

V. 35—38. *At cum regna* etc., in descriptione aureæ ætatis vss. 35—44. poeta ante oculos habuit Tib. I. 3, 35. sqq. *regna senex cæli Saturnus habebat*, ætate aurea; cf. Tib. I. 3, 35—36: «Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam Tellus in longas est patefacta vias». — *lucrum*, opes, thesauros. — *Aeraque et argentum cumque auro pondera ferri Ma-*

nibus admorat, ut Ov. Met. I. 139—140: «Quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris, Effodiuntur opes». — *massa,* sc. massa metalli.

V. 39—43. *curvo sine vomere,* ut infra III. 10, 14: «curvo dente» sc. aratri. — *in quercu mella reperta cava,* ex Hor. Ep. 16, 47: «Mella cava manant ex ilice». Cf. Tib. I. 3, 45: «Ipsæ mella dabant quercus». — *Nec valido quisquam terram scindebat aratro,* ex Lucret. V. 208—209: «Vitai causa *valido* consueta bidenti Ingemere et terram pressis proscindere aratris». — *Signabat nullo limite mensor humum,* ut Ov. Met. I. 136: «Cautus humum longo signabat limite mensor». Cf. Tib. I. 3, 43—44: «non fixus in agris, Qui regeret certis finibus arva, lapis». — *Non freta ... verrebant ... remo,* ut Verg. Aen. VI. 320: «remis vada livida verrunt».

V. 48—50. *addere in arma manus,* i. e. manus inserere loro scuti aut capulo ensis; cf. adn. supra ad I. 7, 1: «Adde manus in vincla meas» et Ov. A. A. II. 672: «belligeras addite in arma manus». — *Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses,* cf. supra III. 2, 48: «Nil mihi cum pelago, me mea terra capit». — *contenta fuisses,* contenta esse debebas. — *tertia regna,* hoc loco cælum, alibi Orcus; cf. Lygd. 5, 21—22: «pallentes undas quicumque tenetis Duraque sortiti tertia regna dei».

V. 51—52. *Quirinus, Liber et Alcides,* ex mortalibus dii facti; poeta ante oculos habuit Hor. Ep. II. 1, 5—6: «Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux Post ingentia facta deorum in templa recepti». — *Alcides,* Hercules, Alcei nepos. — *modo Cæsar,* Julius Cæsar, cui Augustus templum dedicavit.

V. 54—58. *sanguine,* iunge cum *possidet:* sanguine sibi comparat. — *Curia,* senatus. — *pauperibus,* qui non habent censum senatorium. — *honores,* magistratus curules. — *Inde,* sc. ex censu. — *gravis iudex,* iudices ex senatoribus, equitibus et tribunis ærariis (i. e. ex plebeis ditioribus) legebantur. Cf. Ov. A. A. I. 461: «populus iudexque gravis lectusque sena-

tus». - *severus eques,* severis moribus; equites enim, qui non erant integris moribus, a censore iubebantur equum vendere, i. e. privabantur equestri dignitate. — *Campusque,* Campus Martius, ubi comitia habebantur et magistratus creabantur. - *forumque,* ubi iudicia erant. — *crudaque,* cruenta.

V. 61- 64. *tetricas . . . Sabinas,* cf. adn. supra ad I. 8, 39: «Sabinæ». — *tetricas,* severas, rigidas; cf. Liv. I. 18, 4: «disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit». — *qui dare multa potest,* ex Prop. II. 26, 28: «Qui dare multa potest, multa et amare potest». - *Me prohibet custos, in me timet illa maritum: Si dederim, tota cedet uterque domo,* ex Tib. II. 4, 33– 34: «Sed pretium si grande feràs, custodia victa est, Nec prohibent claves et canis ipse tacet». Cf. Prop. IV. 5, 47—48: «Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, Surdus in obductam somniet usque seram». — *in me,* si de me agitur; usus præpositionis *in* ad exemplum Propertii; cf. Prop. I. 1, 17: «In me tardus Amor non ullas cogitat artes» et II. 12, 13—14. (de Amore): «In me tela manent, manet et puerilis imago, Sed certe pennas perdidit ille suas». — *dederim,* sc. dona.

V. 65—66. *O si neglecti quisquam deus ultor amantis Tam male quæsitas pulvere mutet opes,* poeta ante oculos habuit Tib. I. 9, 11—12: «at deus illa In cinerem et liquidas munera vertat aquas» et II. 4, 39—40: «At tibi, quæ pretio victos excludis amantes, Eripiant partas ventus et ignis opes» et Prop. II. 16, 46. (de donis Cynthiæ ab amatore divite datis): «Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua». — *deus ultor amantis,* ex Tib. I. 5, 57—58: «sunt numina amantum Sævit et iniusta lege relicta Venus». — *male quæsitas,* opes puellæ parum honeste partas.

IX.

Lib. III. eleg. 9.

Epicedium Tibulli, scriptum verisimiliter paulo post poetæ mortem. Tibullus autem obiit non multo post Vergilium a. a. Chr. n. 19. mortuum, ut docet Domitii Marsi epigramma in codicibus Tibullianis servatum:

> Te quoque Vergilio comitem non æqua, Tibulle,
> Mors iuvenem campos misit ad Elysios.

V. 1- 6. *Memnona,* cf. adn. supra ad I. 13, 3: «Memnonis umbris.» - *si mater . . . ploravit,* cf. Ov. Met. XIII. 621--622: «Luctibus est Aurora suis intenta piasque Nunc quoque dat lacrimas et toto rorat in orbe.» -- *mater ploravit Achillem,* cf. Prop. III. 7, 68: «materno tacta dolore, Thetis.» — *tangunt,* movent, ut Prop. l. l. - *Flebilis,* sensu activo. — *indignos, Elegeia, solve capillos,* ut lugentes solent. — *indignos,* capilli eius indigni sunt, qui solvantur in luctum et neglecti iaceant, sed debent necti et eleganter ornari; cf. supra III. 1, 7: «Elegeia nexa capillos.» — *Elegeia,* personificata, dea, ut supra III. 1, 7. sqq. - *nimis ex vero nunc tibi nomen erit,* alludit ad derivationem vocis elegiæ ex ἔ λέγειν, i. e. væ dicere; cf. Suid. s. v. et Etym. Magn. 326, 57. et Ov. Her. 15, 7: «elegeia flebile carmen.» — *tua fama,* tuum decus; cf. adn. supra ad II. 18, 26: «fama lyræ.» — *corpus inane,* anima privatum, ut Ov. Met. II. 611: «Corpus inane animæ.» Poeta ante oculos habuit Prop. III. 18, 32: «animæ corpus inane suæ.»

V. 7 -12. *puer Veneris,* Amor. — *fert eversamque pharetram Et fractos arcus et sine luce facem,* alludit ad Tib. II. 6, 15—16: «Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, Si licet, exstinctas aspiciamque faces.» — *eversamque pharetram,* ad luctum significandum; eodem modo in funere imperatorum versi fasces portabantur. Cf. Tac. Ann. III. 2. - *miserabilis,*

sensu passivo. - *Pectoraque . . . aperta,* vestes enim rescidit propter luctum. - *sparsi . . . capilli,* cf. adn. supra ad vs. 3: «indignos, Elegeia, solve capillos.» - *singultu concutiente,* i. e. labia singultu concutiuntur; cf. Val. Flacc. Argon. III. 338: «quatiens singultibus ora.»

V. 13—16. *Fratris in Aeneæ,* quia etiam Aeneas Veneris filius fuit. - *sic illum funere dicunt Egressum tectis, pulcher Iule, tuis,* comitatus est funus e domo funebri ad rogum. *Iule,* Iulus sive Ascanius, Aeneæ filius.

V. 17—20. *At sacri vates et divum cura vocamur,* alludit ad Tib. II. 5, 113—114: «At tu, nam divum servat tutela poetas, Præmoneo, vati parce, puella, sacro»; præterea ante oculos habuit Lygd. 4, 43. (Apollo ad poetam): «Salve cura deum.» Cf. Ov. A. A. III. 405: «Cura deum fuerunt olim regumque poetæ». - *nos numen habere putent,* cf. Ov. A. A. III. 549. (de poetis): «Est deus in nobis et sunt commercia cæli» et Trist. IV. 10, 42: «Quotque aderant vates, rebar adesse deos.» - *profanat,* incestat; cf. Verg. Aen. VI. 150: «totamque incestat funere classem.» Mors enim non solum corpus mortui, sed etiam domum funebrem et lugentes incestos facit, quare domus et lugentes post funus lustrari debent. - *Omnibus obscuras inicit illa manus,* ex Tib. I. 3, 4: «Abstineas avidas Mors modo nigra manus.»

V. 21—24. *Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo,* pater Orphei, vatis fabulosi, Apollo, mater Calliope Musa fuit. — *Ismario,* Thracio; cf. adn. ad II. 6, 7: «Ismarii.» - *obstipuisse,* immobiles hæsisse admiratione; ex Verg. Ecl. 8, 3: «quorum stupefactæ carmine lynces.» - *Aelinon . . . ælinon . . . concinuisse,* cum filium Linum lugeret. Linus enim, vates fabulosus antiquitatis, erat filius Apollinis, quem mortuum pater ploravisse fertur iterum atque iterum clamando: *Αἰ Λίνος.* unde carmen lugubre vocabatur *αἴλινος.* Cf. Aesch. Ag. 117: *αἴλινον αἴλινον εἰπέ.* - *in silvis . . . altis,* quo Apollo secessit propter luctum. - *invita . . . lyra.* ut Prop. IV. 1, 74: «Poscis ab invita verba pigenda lyra.»

V. 25—27. *Adice Mœoniden,* poeta ante oculos habuit Lucret. III. 1037—1038: «Adde Heliconiadum comites, quorum unus Homerus Sceptra potitus eadem aliis sopitu quietest.» — *Mœonidem,* Homerum; cf. adn. supra ad I. 15, 9: «Mæonides.» — *a quo ceu fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis,* Homerus est pater poeseos, qui omnes reliquos poetas inspirat; Ovidius respexit Prop. III. 3, 51—52: «Talia Calliope lymphisque a fonte petitis Ora Philetæa nostra rigavit aqua.» — *Pieriis . . . aquis,* aqua ex fontibus Musarum, unde poetæ bibunt, ut ad carmina scribenda excitentur. — *Pieriis,* Musæis; cf. adn. supra ad I. 1, 16: «Pieridum.» — *summa dies,* suprema, ultima. — *Averno,* lacus Avernus ad Cumas, ubi erat introitus ad inferos; hoc loco ponitur pro Orco.

V. 29—34. *Troiani fama laboris,* Ilias. — *laboris,* belli. — *Tardaque nocturno tela retexta dolo,* Odyssea; poeta respexit Prop. II. 9, 5—6. (de dolo noto Penelopæ): «Coniugium falsa poterat differre Minerva, Nocturno solvens texta diurna dolo.» — *Tardaque . . . tela,* tarde laborata. — *Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,* alludit ad Tibulli librum primum, ubi Delia, et ad secundum, ubi Nemesis celebratur. — *cura recens,* quia Tibullus paulo post perfectum librum secundum mortuus est. — *Quid vos sacra iuvant? quid nunc Aegyptia prosunt Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?* alludit ad Tib. I. 3, 23—26: «Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt Illa tua totiens æra repulsa manu, Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari Te — memini — et puro secubuisse toro.» — *vos,* quod Tibullus de Delia sola dixit, Ovidius ad utramque eius amicam transfert. — *sacra,* sc. pie culta. — *Aegyptia . . . sistra,* in cultu Isidis, deæ Aegyptiæ, usitata; cf. adn. supra ad II. 13, 11: «tua sistra.» — *vacuo secubuisse toro,* cf. adn. supra ad I. 8, 74: «quæ causas præbeat, Isis erit.»

V. 36—37. *Sollicitor,* incitor, commoveor. — *Vive pius: moriere,* cf. Hor. Carm. II. 14, 2—4: «nec pietas moram Rugis et instanti senectæ Adferet indomitæque morti.» — *pius cole sacra,* ex Tib. I. 3, 25: «pie dum sacra colis.»

V. 40. *Vix manet e toto, parva quod urna capit,* cf. Ov. Met. XII. 610—611: «Iam cinis est et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.»

V. 41. *sacer vates,* cf. adn. supra ad vs. 17: «At sacri vates et divum cura vocamur.»

V. 44. *sustinuere,* audere potuerunt.

V. 45. *Avertit vultus,* ne Tibullum in rogo ardentem videret. — *Erycis quæ possidet arces,* Venus; cf. adn. supra ad II. 10, 11: «Erycina.» — *arces,* templa in monte posita, ut supra III. 3, 35.

V. 47—48. *Sed tamen hoc melius, quam si Phœacia tellus Ignotum vili supposuisset humo,* i. e. melius est ei, quod in patria obiit, non in Corcyra, terra peregrina; alludit ad Tib. I. 3, 3: «Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.» Tibullus enim, cum anno 30. a. Chr. n. Messallam in Orientem proficiscentem sequi vellet, morbo in Corcyra insula remanere coactus est. Tum scripsit I. 3., ubi mortem in peregrina terra deprecatur. — *Phœacia tellus,* eadem verba in fine hexametri Paneg. in Mess. 78. — *Phœacia,* Corcyra, in qua Σχερίαν Homericam, Phæacum sedem, agnoscere sibi videbantur antiqui.

V. 49—52. *Hinc certe* etc., vss. 49—52. poeta alludit ad Tib. I. 3, 5—8: «non hic mihi mater, Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus, Non soror, Assyrios cineri quæ reddat odores Et fleat effusis ante sepulcra comis». — *Hinc,* sc. ob id ipsum, quod non in peregrina terra, sed in patria mortuus est. — *madidos,* lacrimantes. — *fugientis,* a vivis discedentis, morientis. — *pressit ocellos,* clausit, condidit. Cf. Prop. IV. 11, 64: «Condita sunt vestro lumina nostra sinu.» — *in cineres ultima dona tulit,* cineres in rogo collecti spargebantur vino et lacte, deinde in urna conditi miscebantur odoribus; cf. Lygd. 2, 15—26. — *in partem . . . doloris Venit,* ut doloris particeps esset. — *inornatas . . . comas,* neglegenter effusas; poeta ante oculos habuit Lygd. 2, 11—12: «Ante meum veniat longos incompta capillos . . . Neæra.» — *dilaniata,* scissa; lugentes enim capillos scindere solebant, unde Tib. I. 1, 67—68:

«Tu manes ne læde meos, sed parce solutis Crinibus et teneris, Delia, parce genis.»

V. 53—58. *Cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque priorque Oscula nec solos destituere rogos,* alludit ad Tib. I. 1, 61—62: «Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto, Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.» — *tuis,* cum tua matre et sorore. — *priorque,* Delia. — *descendens,* sc. de rogo, postquam suprema oscula mortuo arsuro dedit; sed scribendum fortasse *discedens,* i. e. discedens a sepulcro post funus peractum. — *tuus ignis,* amor, amica. — *quid . . . tibi sunt mea damna dolori,* Tibullus enim iam pridem deseruerat Deliam et supremo vitæ tempore Nemesin amavit. — *Me tenuit moriens deficiente manu,* alludit ad Tib. I. 1, 60. (ad Deliam): «Te teneam moriens deficiente manu.»

V. 59—64. *aliquid nisi nomen et umbra Restat,* restat aliquid præter nomen inane et remanet umbra, ut ad inferos descendat. Cf. Ov. Trist. IV. 10, 85—86: «Si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restant Et gracilis structos effugit umbra rogos» et Prop. II. 34, 53: «si post Stygias aliquid restabimus undas.» *in Elysia valle Tibullus erit,* alludit ad Tib. I. 3, 57—58: «Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori, Ipsa Venus campos ducet in Elysios.» — *hedera iuvenalia cinctus Tempora,* corona ex hedera Baccho, poetarum patrono, sacra maxime convenit poetis; cf. Prop. IV. 1, 62: «Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.» — *iuvenalia,* quia Catullus iuvenis obiit. — *Calvo,* C. Licinius Calvus, Catulli amicus, qui pulcherrimas sacravit elegias Quintiliæ suæ immatura morte abreptæ. — *docte Catulle,* quia in carminibus suis summa cum arte imitatus est poetas Græcos, præcipue Alexandrinos; eodem cognomine eum ornavit iam Lygd. 6, 41. — *Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici, Sanguinis atque animæ prodige, Galle, tuæ,* i. e. tu quoque obviam venies Tibullo, Galle, nam etiam tu in Elysio es, si falsum est crimen, quo accusatus es. Cornelius Gallus, elegiæ Romanæ conditor, amicus Octaviani, sua manu se interfecit. Cf. Suet. Oct. 66: «Neque enim temere

ex omni numero in amicitia eius (sc. Octaviani) afflicti reperiuntur præter Salvidienum Rufum, quem ad consulatum usque, et Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Aegypti, ex infima utrumque fortuna provexerat. Quorum alterum res novas molientem damnandum senatui tradidit, alteri ob ingratum et malivolum animum domo et provinciis suis interdixit. Sed Gallo quoque et accusatorum denuntiationibus et senatus consultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium, ceterum et inlacrimavit et vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.» — *animæ prodige . . . tuæ,* ex Hor. Carm. I. 12, 37: «animæque magnæ Prodigum Paullum.» — *Galle,* Calvus, Catullus et Gallus hoc loco commemorantur, antecessores Tibulli in poesi erotica; eosdem enumerat Prop. II. 34, 87—92., ut antécessores suos, quem locum Ovidius respexit.

V. 65—68. *siquast modo corporis umbra,* cf. supra vs. 59—60. — *numeros . . . pios,* numerum piorum in Elysio. — *culte Tibulle,* ut supra I. 15, 28., ubi cf. adn. — *Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna, Et sit humus cineri non onerosa tuo,* alludit ad Tib. II. 4, 49—50: «bene . . . placideque quiescas Terraque securæ sit super ossa levis.» — *tuta requiescite in urna,* alludit ad Tib. I. 1, 43—44: «Parva seges satis est, tuto* requiescere lecto Si licet.» Vult enim dicere: Tibullus, dum vixit, in tuto lecto requiescere voluit; nunc, saltem mortuus requiescat in tuta urna.

X.

Lib. III. eleg. 10.

Invectiva in Cererem, quod festo suo gaudia Veneris inhibeat. Auctor est Prop. II. 33, 1—10., ubi eadem de causa in Isidem invehitur.

* Locum ita emendavi in editione mea Tibulliana p. 136. et 307.

V. 1—4. *Annua venerunt Cerealis tempora sacri: Secubat in vacuo sola puella toro*, cf. Prop. II. 33, 1—2. (de festis Isidis): «Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis: Cynthia iam noctes est operata decem.» — *Annua . . . Cerealis tempora sacri*, agitur de sacro anniversario Cereris, quod matronæ Romanæ mense Augusto celebrabant. — *Secubat in vacuo sola puella toro*, ante festum per certum tempus mulieres in casto esse debebant. Idem festum ante oculos habuisse videtur Ov. Met. X. 431—435: «Festa piæ Cereris celebrabant annua matres Illa, quibus nivea velatæ corpora veste Primitias frugum dant spicea serta suarum Perque novem noctes Venerem tactusque viriles In vetitis numerant.» — *Flava Ceres*, propter colorem frumenti maturi. — *tenues spicis redimita capillos*, spicis coronata, ut in statuis et tabulis pictis sæpe conspicitur; cf. Tib. II. 1, 4: «spicis tempora cinge, Ceres.» — *commoda*, gaudia.

V. 6. *ulla*, sc. dea.

V. 7—10. *hirsuti . . . coloni*, horridi et inculti. — *torrebant farra*, far apud antiquos torrebatur prius, deinde molebatur. — *area*, ubi frumentum demessum teritur. — *Sed glandem quercus . . . ferebant*, cf. Tib. II. 1, 37—38. (de deis rusticis): «his vita magistris Desuevit querna pellere glande famem.» — *oracula prima*, antiquissimum oraculum erat Dodonæ in Epiro, ubi ex strepitu quercuum Iovi sacrarum fiebat vaticinatio.

V. 11—14. *turgescere*, germinare. — *Falce coloratas subsecuitque comas*, i. e. frumentum maturum; ex Tib. II. 1, 48: «Deponit flavas annua terra comas.» — *Prima iugis tauros supponere colla coegit Et veterem curvo dente revellit humum*, ex Tib. I. 7, 29—30: «Primus aratra manu sollerti fecit Osiris Et teneram ferro sollicitavit humum» et II. 1, 41—42. (de diis rusticis): «Illi etiam tauros primi docuisse feruntur Servitium.» — *veterem . . . humum*, quia aratri inventio antiquissimo tempore facta est. — *curvo dente*, vomere; cf. supra III. 8, 39: «curvo sine vomere» et I. 15, 31: «dens patientis aratri.»

V. 18. *Rustica*, cf. adn. supra ad I. 8, 44: «rusticitas.»

V. 19—22. *Cretes erunt testes; nec fingunt omnia Cretes,* cf. Ov. A. A. I. 297—298: «Nota cano: non hoc, centum quæ sustinet urbes, Quamvis sit mendax, Creta negare potest» et dictum notum Epimenidis: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.* — *Crete nutrito terra superba Iove,* sc. Creta est terra nutrito Iove superba; Iuppiter enim infans ibi alebatur clam patre, ne Saturnus eum quoque devoraret; cf. Ov. Her. 10, 68: «puero cognita terra Iovi.» — *sideream mundi... arcem,* cælum; cf. Lucret. I. 73: «flammantia mœnia mundi.» — *tenero lac bibit ore puer,* cf. Ov. Fast. V. 115—121: «Nais Amalthea, Cretæa nobilis Ida, Dicitur in silvis occuluisse Iovem. Huic fuit hædorum mater formosa duorum, Inter Dictæos conspicienda greges, Cornibus aeriis atque in sua terga recurvis, Ubere quod nutrix posset habere Iovis. Lac dabat illa deo.»

V. 25. *Iasium,* Iasius sive Iasion Cretensis a Cerere amatus occurrit iam apud Hom. Od. V. 125. sqq.; cf. Hes. Theog. 969—971: *Δημήτηρ μὲν Πλοῦτον ἐγείνατο, δῖα θεάων, Ἰασίῳ ἥρωϊ μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι, Νειῷ ἔνι τριπόλῳ, Κρήτης ἐν πίονι δήμῳ.* — *Cretæa ... Ida,* discernendum ab Ida Phrygia.

V. 27. *teneræ flammam rapuere medullæ,* ex Catull. 43, 16: «Ut multo mihi maior acriorque Ignis mollibus ardet in medullis» et Verg. Aen. IV. 66: «est molles flamma medullas.» — *rapuere,* concepere.

V. 30. *sata,* semina consita.

V. 32. *Ruperat et duram vomer aduncus humum,* ut Ov. Rem. 172: «Sauciet ut duram vomer aduncus humum.» — *vomer aduncus,* ut supra vs. 14: «curvo dente»; cf. Lucret. I. 313—314: «uncus aratri Ferreus occulte decrescit vomer in arvis.»

V. 39. *Ipsa,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *locus nemorum ... Ide,* cf. Ov. A. A. I. 290: «sub umbrosis nemorosæ vallibus Idæ.» — *Ide,* scripsit Riese; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 41. *Minos ... legifer,* rex Cretæ iustitia præclarus, qui insulæ leges dedit optimas.

V. 45—46. *Cur ego sim tristis, cum sit tibi nata reperta,* sc. Proserpina; cf. de sacro anniversario Cereris Paul. Fest. s. v. *Græca sacra* (p. 68. ed. Thewrewk): «festa Cereris ex Græcia translata, quæ ob inventionem Proserpinæ matronæ colebant.» — *Regnaque quam Iuno sorte minore regat,* Proserpina inferorum regnum habet, quare Verg. Aen. VI. 138. *Iuno inferna* vocatur. — *sorte minore,* dignitate minore.

V. 48. *ad dominos . . . deos,* cf. Ov. Her. 4, 12: «in dominos ius habet ille deos» et Hor. Carm. I. 1, 6: «Terrarum dominos evehit ad deos.»

XIA.

Lib. III. eleg. 11a.

Elegiam XI. in duas elegias (XIA. = vss. 1—32., XIB. = vss. 33—52.) distribuendam esse recte statuit Lucianus Mueller. In XIA. poeta turpe amicæ fallacis iugum se abiecisse gloriatur. Auctor est Prop. III. 24. et 25., ubi Cynthiæ perfidæ valedicit.

V. 1—3. *Multa diuque tuli,* eadem verba initio hexametri supra II. 19, 49; cf. Prop. II. 8, 13—14. (ad Cynthiam): «Ergo tam multos nimium temerarius annos, Improba, qui tulerim teque tuamque domum, Ecquandone tibi liber sum visus?» — *vitiis,* sc. puellæ. — *turpis amor,* qui amantem humiliat; cf. Prop. III. 21, 33: «moriar fato, non turpi fractus amore.» — *adserui iam me,* sc. in libertatem, non sum iam servus. Adseri enim in libertatem dicebantur servi, qui manumittebantur.

V. 6—8. *Venerunt capiti cornua sera meo,* sero, sed tamen fortis (audax) factus sum; cf. Hor. Carm. III. 21, 18: «addis cornua pauperi» et Ov. A. A. I. 239: «tum pauper cornua sumit.» Poeta ante oculos habuit Prop. II. 5, 18—20. (ad Cynthiam crudelem): «Parce tuis animis, vita, nocere tibi. Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem, Verum etiam instanti læsa repugnat ovis.» — *Perfer et obdura,* eadem verba Ov. A.

A. II. 178. et. Trist. V. 11, 7; ex Catull. 8, 11: «Sed obstinata mente perfer, obdura»; cf. Hor. Sat. II. 5, 39: «Persta atque obdura.» — *dolor hic tibi proderit olim,* de eadem re Prop. II. 5, 15—16: «Nec tu non, aliquid sed prima nocte dolebis: Omne in amore malum, si patiare, leve est.» Cf. Catull. 76, 5—6: «Multa parata manent in longa ætate, Catulle, Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.» — *lassis,* ægrotis, ut supra II. 13, 2.

V. 9—14. *Ergo ego sustinui, foribus tam sæpe repulsus, Ingenuum dura ponere corpus humo,* de eadem re Prop. II. 17, 15—16: «Nunc licet in triviis sicca requiescere luna Aut per rimosas mittere verba fores.» — *Ingenuum . . . corpus,* liberum; servile est enim humi iacere. — *nescio cui,* contemptim dictum. — *Excubui . . . servus ut,* ut servus, qui dominum intus morantem ante fores exspectat. — *Vidi, cum foribus lassus prodiret amator, Invalidum referens emeritumque latus,* ex Prop. II. 16, 27—28: «Barbarus excussis agitat vestigia lumbis Et subito felix nunc mea regna tenet.» — *Invalidum referens . . . latus,* latere invalido domum rediens. — *emeritumque latus,* officiis perfunctum et exhaustum; cf. supra III. 8, 14: «Ense latus cinctum, quod tibi servit, erat», ubi vide adn. — *latus,* lumbos, ut supra III. 7, 36.

V. 16. *Eveniat nostris hostibus ille pudor,* cf. supra II. 10, 15: «Hostibus eveniat vita severa meis» et adn. ad h. l.

V. 17. *Quando ego non fixus lateri patienter adhæsi,* ex Tib. I. 5, 61—62: «pauper adibit Primus et in tenero fixus erit latere» et Catull. 18, 6: «hæres ad latus.»

V. 22. *Et periuratos in mea damna deos,* alludit ad III. 3, 13—16: «Perque suos illam nuper iurasse recordor Perque meos oculos: et doluere mei! Dicite, di, si vos impune fefellerat illa, Alterius meriti cur ego damna tuli?»

V. 23—24. *Quid iuvenum tacitos inter convivia nutus Verbaque compositis dissimulata notis,* ex Tib. I. 2, 21—22: «viro coram nutus conferre loquaces Blandaque compositis abdere verba notis.» Alludit ad II. 5, 15—20: «Multa supercilio vidi vibrante loquentes: Nutibus in vestris pars bona vocis erat.

Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino Mensa, nec in digitis littera nulla fuit; Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem Verbaque pro certis iussa valere notis.» Cf. Prop. III. 8, 25—26: «Tecta superciliis si quando verba remittis Aut tua cum digitis scripta silenda notas.» — *compositis*, de quibus inter puellam et amatorem ante convenerat.

V. 25. *Dicta erat ægra mihi*, cf. Tib. II. 6, 49—50. (de lena improba): «Sæpe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam Nuntiat.»

V. 29—32. *Iam mea votiva puppis redimita corona Lenta tumescentes æquoris audit aquas*, i. e. iam portum tetigi; ex Prop. III. 24, 15—16: «Ecce coronatæ portum tetigere carinæ, Traiectæ Syrtes, ancora iacta mihi est.» — *votiva puppis redimita corona*, puppes navium portum tangentium (i. e. simulacra deorum in puppi) coronabantur ex more; cf. Verg. Ge. I. 303—304: «Ceu pressæ cum iam portum tetigere carinæ, Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.» — *votiva*, coronas pro salute navis vovebant diis navem tutantibus, quorum simulacra in puppi erant; cf. adn. supra ad II. 11, 44: «nostros advehit illa deos.» — *Lenta*, sine curis. — *Desine blanditias et verba, potentia quondam, Perdere*, poeta ante oculos habuit Prop. III. 25, 5—6. (ad Cynthiam): «Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte; Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.» — *non ego sum stultus, ut ante fui*, ex Prop. III. 24, 17—19: «Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu Vulneraque ad sanum nunc coiere mea: Mens Bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.»

XIB.

Lib. III. eleg. 11b.

Poeta se puellam formosam, sed improbam amare et odisse simul affirmat. Elegiam fecit ex Catulli epigrammate (c. 85.):

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris:
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

V. 36. *Nec iuga taurus amat, quæ tamen odit, habet.* ex Prop. II. 3, 47–50: «Ac veluti primo taurus detrectat aratra, Post venit assueto mollis ad arma iugo: Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces, Dehinc domiti post hæc æqua et iniqua ferunt.»

V. 40. *Et videor voti nescius esse mei,* ut Ov. A. A. I. 64: «Cogeris et voti nescius esse tui.»

V. 41. *Aut formosa fores minus, aut minus improba, vellem,* locum imitatur Martial. VIII. 53, 3–4: «O quam te fieri, Catulla, vellem Formosam minus aut magis pudicam!»

V. 42. *Non facit ad mores tam bona forma malos,* non convenit talis pulchritudo malis moribus; cf. adn. supra ad I. 2, 16: «ad arma facit.»

V. 45–48. *Parce, per o lecti socialia iura,* ex Tib. I. 5, 7–8: «Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti Per Venerem quæso compositumque caput.» – *per o lecti socialia iura,* de verborum ordine cf. adn. supra ad III. 1, 61: «per vos utramque rogamus.» – *per omnis, Qui dant fallendos se tibi sæpe, deos,* alludit ad III. 3, 11–12: «Scilicet æterni falsum iurare puellis Di quoque concedunt.» – *Perque tuam faciem, magni mihi numinis instar,* ut supra III. 3, 12: «formaque numen habet.» – *Perque tuos oculos, qui rapuere meos,* ut supra II. 19, 19: «quæ nostros rapuisti nuper ocellos»; ex Prop. III. 10, 15: «qua primum oculos cepisti veste Properti.»

V. 49–52. *Quidquid eris, mea semper eris,* qualiscumque eris, te semper amabo. — *Quidquid eris,* ut Prop. I. 11, 25–26: «Seu tristis veniam seu contra lætus amicis, Quidquid ero, dicam: Cynthia causa fuit.» — *Me quoque velle velis,* i. e. me quoque amare velle velis, quod fieret, si tu probior fieres; cf. Ov. Her. 21, 60: «Me, precor, ut serves, perdere velle velis.» – *anne coactus amem,* quod fiet, si tu improba manseris. – *Lintea dem potius ventisque ferentibus utar, Quam, quamvis nolim, cogar, amare velim,* i. e. ego malim (te probiore facta) volens amori me dedere, quam nolens amare cogi. — *Lintea dem potius ventisque ferentibus utar,* navis secundis ventis

actæ exemplo de amore felici utitur Ovidius etiam Rem. 13 14: «Si quis amat, quod amare iuvat, feliciter ardet: Gaudeat et vento naviget ille suo.» — *Linteа dem*, vela dem ventis. — *ventisque ferentibus utar*, ventis secundis; eadem verba Ov. Trist. I. 2, 73. — *Quam . . . cogar*, quam ut cogar; *ut* post *quam* sæpe omittitur, ut Tib. I. 1, 51 52: «O quantum est auri pereat potiusque smaragdi, Quam fleat ob nostras ulla puella vias.» — *Quam*, ex coniectura Rautenbergi; cf. infra adn. crit. ad h. l.

XII.

Lib. III. eleg. 12.

Corinna carminibus Ovidii innotuit, quare poeta multos iam habet æmulos tristibusque cruciatur suspicionibus. Nunc pœnitet eum elegiis puellam celebrasse.

Poeta ante oculos habuit Prop. II. 25, 29—32:

> Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
> In tacito cohibe gaudia clausa sinu:
> Namque in amore suo semper sua maxima cuique
> Nescio quo pacto verba nocere solent;

præterea Tib. IV. 13, 5—8:

> Atque utinam posses uni mihi bella videri!
> Displiceas aliis: sic ego tutus ero.
> Nil opus invidia est: procul absit gloria vulgi:
> Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

V. 1 3. *tristia . . . Omina non albæ concinuistis aves*, ex Prop. II. 28, 38: «Nigraque funestum concinit omen avis.» — *semper amanti*, cf. supra II. 4, 10: «Centum sunt causæ, cur ego semper amem» et adn. ad h. l. — *non albæ . . . aves*, non bonæ, funesta portendentes; idem significat *nigra avis* apud Prop. l. l. — *Quodve putem sidus nostris occurrere fatis*, ut supra I. 8, 24: «Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis.»

Cf. Ov. Her. 8, 28: «Quodve mihi miseræ sidus obesse querar?» *occurrere*, contrarium, adversum esse.

V. 7—8. *nostris innotuit illa libellis*, ut Prop. II. 25, 3: «Ista meis fiet notissima forma libellis.» — *prostitit*, ut meretrix; cf. adn. supra ad I. 10, 17: «prostare.»

V. 11. *perductus*, allectus; *perductor* enim lenonem significat.

V. 14. *Invidiæ nostris illa fuere bonis*, invidiam hominum excitabant in me, amatorem felicem; unde Tib. IV. 13, 7—8. (de amore felici): «Nil opus invidia est: procul absit gloria vulgi: Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.»

V. 15—17. *Thebe . . . Troia . . . Cæsaris acta*, argumenta epica. — *Thebe*, bellum septem ducum contra Thebanos, argumentum Thebaidum. Tale carmen scripsit Ponticus, Propertii et Ovidii amicus, ut Prop. I. 7, 1—2. docemur. — *Ingenium movit sola Corinna meum*, ut supra II. 17, 34: «Ingenio causas tu dabis una meo» et Ov. Trist. IV. 10, 59—60: «Moverat ingenium totam cantata per urbem Nomine non vero dicta Corinna mihi.» — *aversis . . . Musis*, ut Prop. IV. 1, 73—74: «aversus Apollo: Poscis ab invita verba pigenda lyra.» — *tetigissem carmina*, accessissem ad poesin.

V. 20. *Malueram*, maluissem.

V. 21—22. *Per nos Scylla patri caros furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes*, ex Prop. IV. 4, 39—40: «Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos Candidaque in sævos inguina versa canes» et Tib. I. 4, 63: «Carmine purperea est Nisi coma.» Cf. Ov. A. A. I. 331—332: «Filia purpureos Niso furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes.» — *Scylla patri caros furata capillos*, fabulam de Niso, rege Megarensium, et de Scylla, filia eius narrat Apollod. III. 210: «*(Μίνως) Μέγαρα εἶλε Νίσου βασιλεύοντος τοῦ Πανδίονος . . . ἀπέθανε δὲ καὶ Νῖσος διὰ θυγατρὸς προδοσίαν. Ἔχοντι γὰρ αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῇ κεφάλῃ τρίχα ταύτης ἀφαιρεθείσης ἦν χρησμὸς τελευτῆσαι. Ἡ δὲ θυγάτηρ αὐτοῦ Σκύλλα ἐρασθεῖσα Μίνωος ἐξεῖλε τὴν τρίχα.* Scyllam, Nisi filiam, in monstrum

marinum mutatam esse docent Verg. Ecl. 6, 74—77. et Prop. IV. 4, 39—40., quos auctores Ovidius hoc loco sequitur; fabulam aliter narrant Ciris, epyllion Pseudo-Vergilianum et Ovidius ipse Met. VIII. 1—151., ubi ex Scylla, Nisi filia, fit ciris, avis marina. Vulgo enim Scylla, monstrum marinum, non Nisi, sed Phorci, dei marini, filia esse putabatur. — *caros... capillos*, quia ab iis pendebat regni fatum; cf. Ciris 126. (de capillo Nisi): «Nam capite a summo regis (mirabile dictu) Candida cæsaries (florebant tempora lauro), At roseus medio surgebat vertice crinis: Cuius quam servata diu natura fuisset, Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum Concordes stabili firmarunt numine Parcæ. Ergo omnis *caro* residebat cura capillo.» — *Pube premit rabidos inguinibusque canes*, de figura Scyllæ cf. adn. supra ad II. 16, 23: «quæ virgineo portenta sub inguine latrant.» — *rabidos... canes*, ex Lucret. V. 892 893: «rabidis canibus succinctas... Scyllas»; cf. Ov. Met. XIV. 66—67. (de Scylla): «Statque canum *rabie* subiectaque terga ferarum Inguinibus truncis uteroque exstante coercet.»

V. 23—24. *Nos pedibus pinnas dedimus, nos crinibus angues, Victor Abantiades alite fertur equo*, poeta ante oculos habuit Catull. 55, 24—25: «Non si Pegaseo ferar volatu, Non Ladas ego pinnipesve Perseus» et Prop. II. 30, 3—4: «Non si Pegaseo vecteris in aere dorso, Non tibi si Persei moverit ala pedes.» — *pedibus pinnas*, ut Mercurio et Perseo; cf. supra III. 6, 13: «quas habuit pinnas Danaeius heros» et adn. ad h. l. — *crinibus angues*, ut Furiis et Medusæ; cf. supra III. 6, 14: «densum... angue caput» et adn. ad h. l. — *Victor Abantiades alite fertur equo*, Perseus, postquam Medusam necavit, Pegasum, equum alatum e sanguine Medusæ modo natum (cf. Hes. Theog. 280—281.) conscendit. Persei in Pegaso equitantis apud alios scriptores nusquam fit mentio, sed in ectypo quodam Melio (cuius imaginem v. apud Baumeisterum, Denkm. p. 1293. fig. 1438.) conspicitur Perseus sedens in Pegaso, altera manu caput abscisum Medusæ, altera ἅρπην (i. e. ensem uncum)

tenens. — *Abantiades,* Perseus, Acrisii nepos, Abantis pronepos. *alite... equo,* ut Catull. 66, 59: «ales equus.»

V. 25—28. *Idem,* nos iidem. — *per spatium Tityon porreximus,* cf. Tib. I. 3, 75: «Porrectusque novem Tityos per iugera terrae.» Tityos Latonæ vim afferre voluit; pœnam eius apud inferos describit Hom. Od. XI. 576. sqq.: *Καὶ Τιτυὸν εἶδον, Γαίης ἐρικυδέος υἱόν, Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα, Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἦπαρ ἔκειρον* et vs. 580: *Λητὼ γὰρ ἤλκησε, Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν.* — *tria vipereo fecimus ora Cani,* agitur de Cerbero, qui erat canis triceps. — *vipereo,* quia in tergo pro pilis angues habuit; cf. Lygd. 4, 87: «Nec canis anguinea redimitus terga caterva.» — *Enceladum,* Enceladus erat unus Gigantum cælum oppugnantium, cui Iuppiter fulmine icto Aetnam imposuit; cf. Verg. Aen. III. 578—580. — *mille lacertis,* auxesis, pro: centum lacertis. Centum manus Gigantibus tribuit poeta etiam Met. I. 183—184: «centum quisque parabat Inicere anguipedum captivo bracchia cælo.» Cf. adn. supra ad II. 1, 12: «Centimanumque Gyen.» — *Ambiguae... virginis,* Sirenes, quæ ora virginum, corpora avium habebant; cf. supra I. 4, 8: «ambiguos viros» i. e. Centauros, ubi vide adn. *ore,* cantu.

V. 29—32. *Aeolios Ithacis inclusimus utribus Euros,* cf. Paneg. in Mess. (Tib. IV. 1.) 58: «Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos.» Ventos ab Aeolo, rectore ventorum, utre inclusos secum vexit in nave Ulixes Ithacus; cf. Hom. Od. X. 19. sqq. — *Proditor in medio Tantalus amne sitit,* ut Ov. A. A. II. 606: «Garrulus in media Tantalus aret aqua.» Cf. supra II. 2, 43—44: «Quærit aquas in aquis et poma fugacia captat Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit» et adn. ad h. l. — *De Niobe silicem,* quæ, postquam liberi eius ab Apolline et Diana sagittis necati sunt, dolore immenso in saxum mutata est; cf. Ov. Met. VI. 146. sqq. — *de virgine fecimus ursam,* Callisto, filia Lycaonis, regis Arcadii, amica Iovis, a Iunone in ursam versa, deinde a Iove inter stellas relata in sidus Ursæ Maioris mutata est; cf. Ov. Fast. II. 156. sqq. — *Concinit Odrysium*

Cecropis ales Ityn, ut Ov. Her. 15, 154: «Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.» Ovidius utrobique imitatur Catull. 65, 13—14: «Qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias absumpti fata gemens Ityli» et Prop. III. 10, 10: «Increpet absumptum nec sua mater Ityn.» Ovidium imitatur Martial. X. 51, 4: «Ismarium pælex Attica plorat Ityn.» Ad fabulam cf. adn. supra ad II. 6, 7: «Quod scelus Ismarii» etc. — *Odrysium ... Ityn,* filium Terei, regis Thraciæ; Odrysæ enim erant populus Thraciæ. — *Cecropis ales,* Philomela, filia Pandionis, regis Athenarum. Cecrops enim erat rex antiquissimus Atticæ.

V. 33—36. *Iuppiter aut in aves aut se transformat in aurum, Aut secat imposita virgine taurus aquas,* cf. incerti auctoris epigramma (Anth. Pal. IX. 48.): *Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.* — *in aves,* Iuppiter in aquilam mutatus rapuit Ganymeden, in cycnum conversus adiit Ledam. — *in aurum,* propter Danaen; cf. adn. supra ad II. 19, 27: «Danaen habuisset aenea turris.» — *taurus,* propter Europam; cf. adn. supra ad I. 3, 23: «Quæque super pontum» etc. — *Protea,* cf. adn. supra ad III. 15, 10: «Carpathiive senis.» — *Thebanaque semina dentes,* draconis dentes, quibus agrum insevit Cadmus; cf. adn. supra ad III. 6, 33: «Martia Thebe.» — *Qui vomerent flammas ore, fuisse boves,* quibus Iason aravit in Colchide, ut dentes draconis sereret; cf. Verg. Ge. II. 140—141: «Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem Invertere satis immanis dentibus hydri.»

V. 37—40. *Flere genis electra tuas, Auriga, sorores,* Heliades, sorores Phaethontis, fratrem lugentes in arbores, lacrimæ autem earum in electra mutatæ sunt; cf. Ov. Met. II. 340. sqq. — *Auriga,* Phaethon, qui curru Solis male recto a Iove fulmine ictus est. — *Quæque rates fuerint, nunc maris esse deas,* naves Aeneæ, quas Iuppiter Cybeles precibus motus in nymphas marinas mutavit, ne a Turno incenderentur; cf. Verg. Aen. IX. 77. sqq. — *Aversumque diem mensis furialibus Atrei,* Atreus filios fratris Thyestis necavit et membra eorum patri

eppulanda apposuit, quo viso Sol retro egit currum et in tenebris terram reliquit; cf. Lucan. Phars. I. 543–544: «qualem fugiente per ortus Sole Thyesteæ noctem duxere Mycenæ» et Ov. A. A. I. 330. de eadem re: «Auroram versis Phœbus adisset equis.» — *Duraque percussam saxa secuta lyram,* Amphion, cum arcem Thebarum conderet, lyram pulsavit et lapides ad sonum chordarum in muri formam sponte coierunt; cf. Hor. Carm. III. 11, 2: «Movit Amphion lapides canendo» et A. P. 394–396: «Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis, Saxa movere sono testudinis et prece blanda Ducere, qua vellet.» – *percussam,* digitis aut plectro pulsatam; cf. Prop. II. 1, 9: «Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis.»

V. 41. *fecunda licentia,* quia multas fabulas fingunt poetæ.

XIII.

Lib. III. eleg. 13.

Propertius IV. 8, 2–14. breviter attigit festum quoddam Iunonis Lanuvinæ, quod exemplum secutus Ovidius elegia descripsit Iunonis festum Faleriis celebrari solitum.

V. 1–6. *coniunx,* Ovidius ter matrimonium iniit, ut Trist. IV. 10, 69–74. ipse testatur. Hoc loco agitur de uxore prima aut de secunda; tertiam enim, cum libros Amorum scriberet, nondum ei nuptam fuisse elucet ex iis, quæ *H. Peter* exposuit in editione Fastorum p. 5. adn. – *Faliscis,* Faleriis, oppido Etruriæ. Incolæ regionis eius vocabantur Falisci. – *Camille,* M. Furius Camillus, qui Veios delevit, cepit Falerios a. a. Chr. n. 394. – *Casta ... festa,* debebant enim festum celebraturi in casto esse; cf. adn. supra ad III. 7, 54: «Protinus ut sanctos possit adire deos.» – *sacerdotes,* feminæ; cf. infra vs. 30. – *Iunoni,* quæ Faleriis præcipue colebatur; cf. Ov. Fast. VI. 49: «Iunonicolasque Faliscos.« — *indigenamque bovem,* i. e. Fa-

liscam vaccam (cf. vs. 13.); erat enim terra Falisca bobus albis clara, quibus in sacrificiis plurimum utebantur Romani; cf. Ov. Fast. I. 83—84. de iuvencis Iovi Capitolino mactandis: «Colla rudes operum præbent ferienda iuvenci, Quos aluit campis herba Falisca suis.» — *Grande moræ pretium ritus cognoscere,* poeta ante oculos habuit Prop. IV. 8, 2—3. (de festo Iunonis Lanuvinæ): «Lanuvium annosi vetus est tutela draconis: Hic, ubi tam raræ non perit hora moræ.» — *Difficilis clivis... via,* Romani Falerios veteres in monte sitos propter iteratas incolarum rebelliones destruxerunt a. 241. a. Chr. n. et in planitie novum oppidum condiderunt, sed templa antiqua certe loco suo manserunt.

V. 7—8. *Stat vetus et densa prænubilus arbore lucus; Adspice: concedas numen inesse loco,* lucus sacer Iunonis; cf. supra III. 1, 1—2: «Stat vetus et multos incædua silva per annos: Credibile est illi numen inesse loco» et Ov. Fast. III. 295—296: «Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra, Quo posses viso dicere: numen inest.»

V. 11—16. *Hinc,* sc. ex luco sacro. — *velatas... vias,* tapetis tectas. — *niveæ iuvencæ,* quales eligebantur in usum sacrorum. — *Quas aluit campis herba Falisca suis,* idem versus Ov. Fast. I. 84., nisi quod pro *quas* ponitur *quos,* agitur enim de tauris Iovi sacrificandis. — *Et vituli nondum metuenda fronte minaces,* cf. Verg. Ecl. 3, 87. de vitulo maiore: «Iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.» — *Et minor ex humili victima porcus hara,* ex Tib. I. 10, 26: «Hostiaque e plena rustica porcus hara.» Ovidium imitatur Priap. 65, 2: «Cæditur e tepida victima porcus hara.

V. 17—21. *Duxque gregis,* aries. — *Invisast dominæ sola capella deæ,* i. e. non licet ei capellam sacrificare. — *Illius indicio silvis inventa sub altis Dicitur inceptam destituisse fugam,* fabula, ad quam poeta alludit, aliunde non est nota. Fortasse Iuppiter persecutus est amore suo Iunonem eo tempore, quo clam parentibus sororem amabat; cf. Hom. Il. XIV. 295—296. — *Nunc quoque,* sc. hoc festo inter ludos. — *index,* sc. capella.

V. 23—24. *Qua ventura dea est,* simulacrum deæ in pompa portatum. — *veste iacente,* i. e. tam longas vestes gerunt pueri et puellæ in pompa, ut humum iis verrant; cf. supra III. 1, 12. de vestitu Tragœdiæ: «palla iacebat humi.»

V. 25—30. *Virginei crines,* agitur de sacerdotibus Iunonis. — *auratos... pedes,* ad calceos auratos referendum. — *palla superba,* magnifica, pretiosa. — *More... Graio,* cf. infra vs. 31. sqq. — *Tradita,* a maioribus. — *supposito vertice sacra ferunt,* ut *κανηφόροι* apud Græcos. — *sacra,* res sacras in cultu Iunonis usitatas portant canistris in capite; cf. Ov. Met. II. 711—713: «Illa forte die castæ de more puellæ Vertice supposito festas in Palladis arces Pura coronatis portabant sacra canistris.» — *Ore favent,* cf. adn. supra ad III. 2, 43: «linguis animisque favete» et Prop. IV. 6, 1: «sint ora faventia sacris.» — *Ipsa,* sc. dea; simulacrum Iunonis.

V. 31—32. *Argivast pompæ facies,* Iuno Argis et Mycenis præcipue colebatur; cf. Hom. Il. IV. 51—52. (Iuno de se): *Ἥτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες, Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.* — *Agamemnone cæso Et scelus et patrias fugit Halæsus opes,* de Halæso, Faleriorum conditore, cf. Ov. Fast. IV. 73—74: «Venerat Atridæ fatis agitatus Halæsus, A quo se dictam terra Falisca putat» et Serv. ad Verg. Aen. VII. 723: «Hunc Agamemnonis plerique comitem, alii nothum filium volunt.» — *patrias... opes,* patriam divitem; erant enim Mycenæ, sedes Agamemnonis, divitiis claræ.

XIV.

Lib. III. eleg. 14.

Poeta malos puellæ mores emendari umquam posse desperat neque tamen eam deserere sustinet; hoc unum igitur amicam rogat, ut saltem dissimulare vitia conetur. Comparari potest Prop. II. 32, ubi poeta vss. 21—24. monet Cynthiam, ut famæ parcat, sed in fine (vs. 61—62) tamen ignoscit ei infidelitatem.

V. 1. *Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso.* cf. Ov. Her. 16, 288: «Lis est cum forma magna pudicitiæ» et Iuv. Sat. X. 293: «rara est concordia formæ Atque pudicitiæ.» — *pecces,* mihi infidelis sis; cf. adn. supra ad II. 5, 3: «peccasse.»

V. 3. *censura,* severitas, severum de moribus iudicium.

V. 7. *Quis furor est,* eadem verba initio hexametri Tib. I. 10, 33.

V. 9—11. *Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti.* sc. in lupanari. — *Opposita ... sera,* ut Tib. I. 8, 76: «Quæcumque opposita est ianua dura sera». — *prostitues,* publice propones, monstrabis. — *famæ ... sinistræ,* malæ.

V. 16. *coram,* i. e. coram me et populo; cf. infra vs. 29: «Da populo, da verba mihi.»

V. 17. *Est qui nequitiam locus exigat,* cf. Ov. Her. 7, 58: «Perfidiæ pœnas exigit ille locus.»

V. 22—26. *femori impositum sustinuisse femur,* ut Tib. I. 8, 26: «femori conseruisse femur.» *Illic purpureis condatur lingua labellis,* cf. Tib. I. 8, 37—38: «Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis Oscula» et adn. supra ad II. 5, 24: «Illa lingua nexa fuisse.» — *Inque modos Venerem mille figuret amor,* agitur de diversis concubitus figuris; cf. Ov. A. A. II. 679—680: «Utque velis, Venerem iungunt per mille figuras: Invenit plures nulla tabella modos» et III. 787: «Mille modi Veneris.» — *Venerem ... amor,* Venus concubitum, amor affectum animi significat. — *Illic nec voces nec verba iuvantia cessent,* cf. Ov. A. A. III. 795. de eadem re: «Nec blandæ voces iucundaque murmura cessent.» — *voces,* i. e. voces inarticulatæ voluptate expressæ. — *verba iuvantia,* cf. adn. supra ad III. 7, 55: «non blandast.» — *Spondaque lasciva mobilitate tremat,* cf. Catull. 6, 10—11: «tremulique quassa lecti Argutatio inambulatioque.»

V. 27—28. *tunicis,* subuculam (tunicam interiorem) et tunicam intellege. — *opus,* cf. adn. supra ad I. 4, 48: «dulce opus.»

V. 31—32. *mitti recipique tabellas,* cf. Tib. II. 6, 45—46:

«Lena... furtimque tabellas Occulto portans itque reditque sinu» et Ov. A. A. I. 383: «dum dat recipitque tabellas.» — *Cur pressus prior est interiorque torus,* ex Catull. 3, 6—10: «Nam te non viduas iacere noctes Nequiquam tacitum cubile clamat... Pulvinusque peræque et hic et ille Attritus» et Prop. II. 29, 35—36: «Apparent non ulla toro vestigia presso, Signa voluptatis, nec iacuisse duos.»

V. 34. *Collaque conspicio dentis habere notam,* ex Tib. I. 8, 38: «in collo figere dente notas.»

V. 37—40. *Mens abit et morior,* ut Tib. II. 6, 51: «Tunc morior curis» i. e. excrucior. — *frigida gutta,* sudor. — *Tunc amo, tunc odi frustra, quod amare necesse est,* alludit ad III. 11, 33—34: «Luctantur pectusque leve in contraria tendunt Hac amor, hac odium, sed, puto, vincit amor.» — *tunc odi frustra, quod amare necesse est,* ut supra II. 4, 5: «Odi nec possum cupiens non esse, quod odi.» — *quod amare necesse est,* neutro pronominis genere utitur poeta, quamquam agitur de puella amata; similiter Ov. Rem. 13: «Si quis amat, quod amare iuvat.»

V. 41. *falli,* ex coniectura optima Madvigii; codices habent: *falsis.*

V. 45—47. *Quæ bene visa* etc., vss. 45—47. poeta ante oculos habuit Plaut. Mil. 187. (de muliere fallaci): «Ut eum, qui se hic vidit, verbis vincat, ne is se viderit.» — *lumina nostra,* oculi. — *Prona,* facilis, parata.

XV.

Lib. III. eleg. 15.

Epilogus Amorum. Poeta ante oculos habuit epilogum libri primi (I. 22.) et prologum libri quarti (IV. 1.) Propertiani.

V. 1—3. *tenerorum mater Amorum,* Venus. — *tenerorum... Amorum,* Cupidinum parvorum, qui nunc *Amoretti* vocantur

et in tabulis pictis Venerem circumvolare solent; cf. Ov. Her. 16, 203: «volucrum... mater Amorum.» — *Raditur hic elegis ultima meta meis,* ex Prop. IV. 2, 58: «hæc spatiis ultima meta meis.» Eodem sensu figurato dicit Prop. IV. 1, 70: «Has meus ad metas sudet oportet equus» et Ov. A. A. I. 40: «Hæc erit admissa meta premenda rota» et ibid. II. 426: «Interior curru meta terenda meo est.» — *Raditur,* cf. adn. ad III. 2, 12: «stringam metas interiore rota.» — *ultima,* ad ultimum; aurigæ enim certantes septies metæ currus circumagere debebant; cf. Prop. II. 25, 25—26: «Aut prius infecto deposcit præmia cursu, Septima quam metam triverit ante rota?» — *Quos ego composui Pœligni ruris alumnus,* cf. adn. supra ad II. 1, 1: «Hoc quoque composui Pælignis natus aquosis.»

V. 5—6. *Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres, Non modo militiæ turbine factus eques,* ut Ov. Trist. IV. 10, 7—8: «Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres, Non sum fortunæ munere factus eques.» — *militiæ turbine,* belli tumultu; poeta ante oculos habuit Hor. Carm. II. 7, 15—16: «Te rursus in bellum resorbens Unda fretis tulit æstuosis.»

V. 7—10. *Mantua Vergilio,* Vergilius natus est Andibus, in vico ad Mantuam sito. — *Verona Catullo,* Catullus natus est Veronæ. — *Pœlignæ dicar gloria gentis ego,* poeta ante oculos habuit Prop. IV. 1, 63—64: «Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris, Umbria Romani patria Callimachi.» — *Quam sua libertas ad honesta coegerat arma,* bello sociali a. 91—79. a. Chr. n. In hoc bello primarias agebant partes Pæligni volueruntque socii Corfinium, oppidum in Pælignis, caput reipublicæ novæ facere; cf. Vell. Pat. II. 16: «Caput imperi sui Corfinium legerant atque appellarant Italicam.» — *honesta ... arma,* petebant enim socii civitatem Romanam iam pridem meritam; cf. Vell. Pat. II. 16: «(sociorum) causa fuit iustissima: petebant enim eam civitatem, cuius imperium armis tuebantur.» — *Cum timuit socias anxia Roma manus,* cf. Vell. Pat. II. 16: «Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum duo Romani consules, Rutilius

ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur.»

V. 11—14. *Sulmonis aquosi Mœnia, quæ campi iugera pauca tenent,* cf. supra II. 1, 1: «Pælignis natus aquosis» et II. 16, 1—2: «Pars me Sulmo tenet Pæligni tertia ruris, Parva sed assiduis ora salubris aquis» et adn. ad h. l. — *Sulmonis aquosi,* ut Prop. IV. 8, 1: «Esquilias aquosas.» — *Quæ tantum... potuistis ferre poetam, Quantulacumque estis, vos ego magna voco,* poeta respexit Prop. IV. 1, 65—66: «Scandentes quisquis cernit de vallibus arces, Ingenio muros æstimet ille meo» et ibid. 125—126: «Scandentisque Asisi consurgit vertice murus, Murus ab ingenio notior ille tuo.»

V. 15—16. *Culte puer,* Amor propter corporis ornatum; cf. supra I. 2, 41—42. (de Amore): «Tu pinnas gemma, gemma variante capillos Ibis in auratis aureus ipse rotis.» — *Amathusia,* Venus, cuius gratissima sedes erat Amathus in Cypro. — *Aurea de campo vellite signa meo,* castra movete, i. e. relinquite me. — *Aurea... signa,* aquilæ legionum Romanarum erant plerumque argenteæ. — *vellite signa,* cum castra movebantur, signa in humo defixa evellebantur.

V. 17—18. *Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus,* i. e. tragœdiam scripturus sum; cf. supra III. 1, 23: «Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri» et adn. ad h. l. — *Corniger,* ut Ov. Her. 13, 33: «Bicorniger» de Baccho; cornua enim habebat Bacchus in capite, unde Græce *βούκερως* et *ταυρόκερως* (Sophocl. fr. 874. Eurip. Bacch. 100.) nominatur. — *increpuit thyrso,* pulsavit me; cf. supra III. 1, 23: «thyrso pulsum» et Ov. Her. 13, 33—34: «Ut quos pampinea tetigisse Bicorniger hasta Creditur, huc illuc, qua furor egit, eo» et Lucret. I. 922—923: «sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.» Bacchus enim thyrso ferit eos, quibus furorem (hoc loco: furorem poeticum) inicere vult. — *increpuit,* interdum significat: pulsavit, i. e. pulsavit ita, ut crepitus fiat; cf. Tib. I. 1, 30: «Aut stimulo tardos increpuisse boves»; Ov. Met. XIV. 820—821: «Impavidus conscendit equos Gradivus et ictu Ver-

beris increpuit» et Trist. I. 4, 24. (de nave): «Increpuit quantis viribus unda latus»; Stat. Theb. III. 431: «Terga comamque deæ Scythica pater increpat hasta.» — *Lyaeus,* cf. adn. supra ad II. 11, 49: «Lyaeo.» — *Pulsanda est magnis area maior equis,* imagine ab area circi desumpta; cf. supra III. 1, 26: «Hæc animo... area facta meo est» et adn. ad h. l. et Ov. A. A. I. 39: «hæc nostro signabitur area curru.» Poeta ante oculos habuit Prop. II. 10, 1—2: «Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis Et campum Hæmonio iam dare tempus equo.» *Pulsandast... area... equis,* ex Prop. III. 14, 12: «Gyrum pulsat equis.» — *magnis area maior equis,* i. e. maius opus aggredior.

V. 19–20. *Inbelles elegi,* molles; cf. adn. supra ad I. 1, 18: «Attenuat nervos proximus ille meos.» — *genialis Musa,* hilare poeseos genus; cf. adn. supra ad II. 13, 7: «genialia.» — *Post mea... fata,* mortem.

ADNOTATIONES CRITICÆ.

ADNOTATIONES CRITICÆ.

In verbis Ovidii constituendis Ehwaldium secutus sum ducem locosque omnes, ubi a præstantissima eius editione* discedendum putavi, hic afferam. In adnotationibus littera *P* notavi codicem Parisinum 8242, littera *S* codicem Sangallensem n. 864.

Liber I.

III. 13. *Et:* codices — *At:* Ehwald.

IV. 46. *ipse:* P; *esse:* S — *ecce:* N. Heinsius. Cf. II. 18, 20: «Ei mihi, præceptis urgeor *ipse* meis» et II. 19, 34: «Ei mihi, ne monitis torquear *ipse* meis.»

VI. 23. *quid obstat:* conieci — *quod optas:* codices. Lectio codicum defendi non potest, quia ex carmine nusquam elucet ianitorem poetæ gratiam referre optasse. 57. *o ianitor ipso:* conieci — *paratior ipse:* codices. Corruptus est locus; comparativus enim *paratior* non est quo referatur et sententia relativa (vs. 58: «Quem face sustineo») inepte secernitur ab *ignique* (vs. 57.), ad quod pertinet. Verbis minacibus certe ianitorem ipsum alloquitur poeta, ut elucet infra vss. 61—62: «nec te precibusque *minisque* Movimus.» 65. *pruinosos:* scripsi cum Merkelio — *pruinosus:* P. Cf. I. 13, 2: «Flava *pruinoso* quæ vehit *axe* diem» et ibid. 10: «*Roscida* purpurea supprime *lora* manu.»

* *P. Ovidius Naso.* Ex Rudolphi Merkelii recognitione edidit *R. Ehwald.* Lipsiæ, in ædibus B. G. Teubneri.

VII. 37. *comitantum:* scripsi — *comitatus:* codices. Minus apte hoc loco positum videtur *comitatus,* sive pro nominativo, sive pro genitivo accipias. Quod ad genitivi pluralis *(comitantum)* formam attinet, cf. Ov. A. A. I. 633: «amantum», Met. V. 356: «silentum», Met. X. 657: «dicentum». 62. *reppulit:* vulgata lectio; *retulit:* P — *rettudit:* Ehwald, quod rarius occurrit.

VIII. 11. *stellantia:* P — *stillantia:* codices reliqui. Optima est codicis Parisini lectio: agitur enim de stellis rubro colore fulgentibus. 50. *Ut . . . amnis aquis:* codex Sarravianus — *Et . . . annus equis:* P et codices reliqui. Sed cf. III. 6, 86: «Nec capit *admissas* alveus altus *aquas*» et Ov. A. A. III. 61—62: «Dum licet et veros etiam nunc degitis annos, Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.» 58. *feres:* scripsi — *leges:* codices. Cf. III. 6, 66: «Munera promissis uberiora *feres*» et Prop. IV. 5, 53—54: «Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum: Versibus auditis quid nisi verba *feres?*» 72. *At:* vulgata lectio — *Et:* P. Sententia coniunctionem adversativam postulare videtur.

X. 5. *Argis:* coniecit Burmann — *agris:* codices. Cf. Prop. II. 26, 47—50: «Testis Amymone, latices cum ferret in *Argis* Compressa» et Lucian. Dial. mar. 6, 2: *πολυδίψιον τὸ Ἄργος.*

XII. 19. *raucis:* lectio vulgata; *rasis:* P — *ravis:* N. Heinsius. Agitur de iniucundo bubonis sono; cf. Verg. Aen. IV. 462—463: «Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri et longas in fletum ducere voces» et ibid. XII. 863—864: «Quæ quondam in bustis et culminibus desertis Nocte sedens serum canit importuna per umbras.» Eadem de causa dicitur *rauca* cornix.

XIII. 1. *a seniore marito:* vulgata lectio — *seniore marito:* PS. Cf. Verg. Aen. IV. 585: «Tithoni croceum linquens Aurora cubile.» 19. *eadem sponsum multos:* scripsit Withof; *eadem sponsum cultos:* P — *vades sponsum stultos:* Ehwald. Simplicior est Withofii emendatio neque vades recte appellantur *stulti;* erat enim *spondere* apud Romanos amicitiæ officium,

cui se subducere nemo poterat honeste. 39. *malis:* vulgata lectio; *magis:* P; *manibus:* S — *mavis:* Riese. Coniectura minime necessaria.

XIV. 24. *mala:* vulgata lectio — *male:* PS. Sed desideratur hoc loco nomen ad *quanta* pertinens. 26. *flexilis:* editiones veteres — *nexilis:* codices. Lectionem codicum interpretes huc usque non potuerunt recte explicare; cf. etiam vs. 13: «centum *flexibus* apti.» 30. *Circuit:* coniecit Martinon — *Erudit:* codices, quod sensu probabili caret. Cf. etiam adn. exeg. supra ad h. l.

Liber II.

I. 3. *severi:* S — *severæ:* P. Agitur certe de lectoribus utriusque sexus; cf. vs. 5—6. infra. 12. *Gyen:* scripsit Lucianus Mueller — *Gygen:* PS. Cf. Hes. Theog. 149—150: *Κότ-τος τε Βριαρεύς τε Γύης θ' ὑπερήφανα τέκνα, Τῶν ἕκατον μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο.* 33. *At facie tenerœ laudata:* scripsi cum Merkelio; *At facies tenerœ laudata:* PS. — *Ut facies tenerœ laudatast:* Ehwald. Necessaria esse videtur hoc loco coniunctio adversativa.

II. 22. *iudiciis:* vulgata lectio — *et indiciis:* P m. s. Sensus est: simula te credere ægrotam esse dominæ amicam. Cf. etiam ad exeg. ad h. l. 37. *obiciens:* N. Heinsius — *obicies:* PS. Minus apte ponitur hoc loco futurum, cum sequatur in sententia parallela imperativus (vs. 38.) *deme.* Infra vs. 38. *Et* pro *etiam* accipiendum. 53. *perdis:* S — *prodis:* P. Agitur certe de indicio frustra facto.

III. 17. *at:* scripsi — *ut:* codices. Quid hoc loco *ut* concessivum sibi velit, non video; sententiarum connexus mihi quidem coniunctionem adversativam postulare videtur.

V. 3. *peccasse:* P m. s. — *peccare:* P m. p. 5. *mi interceptæ:* scripsi; *mihi deceptæ:* codices — *mihi deprensæ:* Ehwald. Ad codicum scripturam propius accedit nostra mutatio et aptissimum reddit sensum, cum *intercipi* proprie dicatur de litteris. 33. *Hoc:* P — *Hæc:* S.

VI. 28. *fiunt:* scripsi — *fiant:* codices. Minus apte positus videtur coniunctivus, cum præcedat (vs. 27.) *vivunt.*

VII. 24. *Per doctas . . . manus:* vulgata lectio; *Perdocta est . . . manus:* PS — *Perdoctast . . . manu:* Riese et Ehwald. Inepte repetitur *est,* cum præcedat (vs. 23.) *illast.*

IX. 36. *hic . . . facit:* codices — *huc . . . facit:* N. Heinsius, quod non est necessarium; *facit* enim hoc loco idem fere significat, quod *valet.* 51. *rogantem:* P m. s. — *Cupido:* P m. p. et codices reliqui, sed inepta est repetitio nominis post vs. 47., ubi poeta iam allocutus est Cupidinem.

XI. 9. *Quam:* scripsi — *Quid:* codices. Minus apte iungitur *Quid* cum *timeo* neque idoneum efficit sensum. Poeta ante oculos habuisse videtur Prop. II. 26, 7: «*Quam* timui, ne forte tuum mare nomen haberet.» 21. *at:* vulgata lectio — *ad:* PS. 22. *credenti:* vulgata lectio — *quærenti:* P. Utrobique præferendam esse vulgatam lectionem primo statim obtutu apparet. 25. *qua:* N. Heinsius; *quia:* P — *cum:* Gruppe. Coniectura Heinsii (*qua* = ubi) optimum efficit sensum et proxime accedit ad Parisini lectionem.

XIII. 18. *tangit:* scripsi — *tingit:* codices. Locus conclamatus! Plana fiunt omnia, si de æde Isidis in Campo Martio sita cogitamus, quæ Ioseph. bell. Iud. VII. 123, Martial. II. 14. 7, Apul. Met. XI. 26, Cass. Di. LXVI. 24. 2, Hist. Aug. Alex. Sev. 26. 8, Eutrop. VII. 23. 5. commemoratur. Cf. supra adn. exeg. ad h. l.

XV. 11. *si cupiam dominæ:* scripsi; *te cupiam dominæ:* PS — *te cupiam, domina, et:* Madvig. Desideratur sententia hypothetica, quacum iungendum (vs. 13.) *Elabar digito.* 19. *Si trahar:* scripsi; *Si dabor:* codices — *Sit labor:* Ehwald. Intellege: si puella me digito detrahere volet. 24. *sub gemmam:* Lucianus Mueller — *sub gemma:* codices. *perfer euntis:* codices — *fer pereuntis:* Dousa. Agitur de damno, quo gemma afficitur aqua subeunte.

XVI. Vss. 25—26. versui 23. præponit Ehwald, quod non est necessarium. 25. *quas:* scripsi; *qua:* P — *quæ:* S. Mea

coniectura proxime accedit ad Parisini lectionem; origo corruptelæ: haplographia propter sequens *submersis*. 39. *vitreosque:* conieci — *viridesque:* codices. Non virides sunt Britanni, sed vitro cæruleo infecti; cf. Cæs. B. G. V. 14, 2: «omnes se Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc terribiliores sunt in pugna aspectu.» Origo corruptelæ: glossema falsum ad *vitreos* pertinens, quod genuinæ lectionis locum occupavit; *vitreus* enim, si pro ὑαλοειδὴς ponitur, revera potest viridem colorem significare.

XVII. 24. *toro:* vulgata lectio — *foro:* P. Iocatur poeta: puella legislatoris partes suscipit, sed in toro, loco minime ad gravissimum hoc munus apto. 31. *labentur:* scripsi — *labuntur:* codices. Futurum postulare videtur sequens (vs. 33.) *cantabitur.*

XVIII. 26. *Aeoliæ:* P m. s. — *Aoniæ:* P m. p.; præferendum est *Aeoliæ,* cum agatur de Sappho Lesbia. *Lesbia:* scripsi — *Lesbis:* codices. *fama:* scripsi; *amica:* P m. s. *amata:* P m. p. Sappho erat certe *fama* (i. e. decus, gloria) poeseos lyricæ Aeoliæ; cf. supra adn. exeg. ad h. l. Codicum lectiones defendi non possunt; Ehwald corruptelæ signum opponit. 28. *Laodamia:* vulgata lectio — *Laudamia:* S.

Liber III.

I. Vss. 47–48. versui 43. præponit Ehwald; ego ordinem versuum codicibus traditum restitui. 53. *incisa:* P; *illisa:* S — *inlisa:* Ehwald. Agitur de elegis ianuæ clausæ ab amatore inscriptis; cf. supra adn. exeg. ad h. l.

III. 1. *i crede:* N. Heinsius — *hic crede:* PS. Sensui ironico optime respondet *i* cum imperativo iunctum. 11. *æterni:* scripsi — *æterno:* codices. Poeta imitatur Hor. II. 8, 9–12. (de Barine periura): «Expedit matris cineres opertos Fallere... gelidaque divos *morte carentes.*» 17. *An:* scribendum censet Riese — *At:* codices. Sententia interrogativa coniunctionem *an* postulare videtur. 26. *Nimirum:* conieci — *Et nimium:* codices. Adverbium *nimium* non est quo commode referatur;

sententiæ aptissimum videtur *nimirum*, quod sæpissime usurpatur sensu ironico. Origo corruptelæ: ex *nimirum* factum est *nimium*, deinde hexametri supplendi causa *et* additum. Cf. etiam Ov. Her. 16, 23—24. Vs. 35. *suos:* Merkel — *suo:* codd.

IV. 6. *ulla:* PS — *illa:* codices deteriores.

V. 19. *feraci:* coniecit Lucianus Mueller — *ferenti:* codices. Cf. III. 10, 17: «agros . . . feraces.»

VI. 41. *Asopide:* codices — *Inopide:* coniecit Unger. Cum fabula de amore Nili satis nota non sit, nolui Ungeri coniecturam codicum lectioni præferre. 54. *Laomedonte:* codices — *Laumedonte:* Ehwald cum Paris. 8242. Epist. XVI. (XVII.) 58. et 206. — 85. *increvit:* codices — *increscis:* Ehwald; *spatiosius:* vulgata lectio; *spatiosus in:* PS — *spatiosior:* Bentley. Supervacua est Ehwaldi coniectura; cur enim poeta etiam hoc loco fluvium alloqui debeat? Reieci etiam Bentleyi coniecturam, quia lectio vulgata ad PS *(spatiosus)* propius accedit, *in* autem in PS metri causa additum videtur.

VII. 19. *quare:* scripsi; *cur me:* coniecit Merkel — *quo me:* PS. Supervacuum est *me* vs. 19., cum vs. 20. legamus: «Nec iuvenem nec *me* sensit amica virum.» 55. *Sed puto non blandast:* scripsi; *Sed non blanda puto:* vulgata lectio; *Sed puto non blanda:* PS — *Sed puto non blande:* Ehwald. Agitur de verbis blandis, irritamentis Veneris, quæ discernuntur a ceteris irritamentis, i. e. ab osculis et aliis sollicitationibus; cf. supra adn. exeg. ad h. l.

VIII. 1. *suscipit:* vulgata lectio; *suspiciet* (vel *suspicet*): P corr. — *suspicit:* N. Heinsius. Agitur de artibus ingenuis discendis; cf. infra vs. 25: «Discite, qui sapitis, non quæ nos scimus inertes.» 33. *sapiens se:* scripsi — *sapiens:* codices. *vertit:* coniecit Lucianus Mueller — *venit:* codices. Quid hoc loco *in munera venit* significet, non liquet; agitur certe de Iove in aurum converso, ut infra III. 12, 33: «Iuppiter aut in aves aut *se transformat* in aurum» et poeta ante oculos habuit Hor. Carm. III. 16, 8: «Converso in pretium deo.» Origo corruptelæ: *se* omissum est per haplographiam propter præcedens

sapiens. 51—52. obelos sustuli. 59. *avidi:* vulgata lectio — *avide:* habere videtur P.

IX 23. *Aelinon:* vulgata lectio — *Et Linon:* P. Aptissime hoc loco videtur bis poni *ælinon;* cf. Aesch. Ag. 117: *αἴλινον αἴλινον εἰπέ.*

X. 24. *nota:* vulgata lectio — *nostra:* P. Cf. I. 9, 40: «Notior in cælo fabula nulla fuit.» Ceres non potest non fateri crimina, quia omnibus nota sunt. 39. *Ipsa:* scripsi — *Ipse:* codices. *Ide:* scripsit Riese — *Idæ:* editores reliqui. In hoc versu *locus nemorum* est appositio ad *Ide* pertinens; intellege: etiam Ida, quæ eo usque locus silvarum fuit, frugibus canebat. Origo corruptelæ: *ipsa* in *ipse* mutatum est propter sequens *locus.* 45—46. obelos sustuli.

XI. 19. *comitata:* P — *cantata:* cum Francof. et Palat. P. Burmann. Sed cf. versum præcedentem: «Ipse tuus custos, ipse vir, ipse *comes.*» 52. *Quam:* coniecit Rautenberg — *Ut:* codices. Coniunctionem *quam* postulare videtur *potius* vs. 51.; præterea *quam* ante *quamvis* facile potuit omitti. Similis cacophonia II. 2, 52: «Nec *quemquam, quamvis* audiat, illa iuvant.»

XII. 22. *rabidos:* vulgata lectio — *rapidos:* P. Cf. Ov. Met. XIV. 66—67. (de Scylla): «Statque canum *rabie* subiectaque terga ferarum Inguinibus truncis uteroque exstante coercet.» 27. *Enceladum:* vulgata lectio — *Enceladon:* N. Heinsius ex «Moreti uno» et A. Riese ex Francof.

XIII. 8. *concedas:* codices — *concedes:* editiones veteres.

XIV. 39—40. obelos sustuli.

XV. 13. *dicet:* vulgata lectio — *dicat:* codd. Francof. unus Moreti et IV Heinsii secundum I. Chr. Iahnium.

INDEX NOMINUM.

INDEX NOMINUM.

A.

Abantiades III. 12, 24.
Accius I. 15, 19.
Achelous Acheloon III. 16, 103. Acheloe III. 6, 35.
Achilles I. 9, 33. II. 1, 29. Achillem III. 9, 1. Achillen II. 18, 1. Achille (abl.) II. 8, 13.
Aeaea III. 7, 79. Aeaeæ II. 15, 10. Aeaea carmina I. 8, 5.
Aegyptia sistra III. 9, 33.
Aeneas II. 18, 31. Aeneæ (gen.) I. 8, 42. III. 9, 13. Aenean II. 14, 17.
Aeneia arma I. 15, 25.
Aeoliæ lyræ (gen.) II. 18, 26.
Aeolios Euros III. 12, 29.
Aesonio duci I. 15, 22.
Aetolia III. 6, 37.
Agamemnone III. 13, 31.
Aiax I. 7, 7.
Alcides III. 8, 52.
Alcinoi I. 10, 56.
Alpes II. 16, 29.
Alpheon III. 6, 29.
Amathusia parens III. 15, 15.
Amor I. 1, 26; 2, 8. 18; 3, 12; 6, 34. 37. 59. 60; 10, 15. II. 1, 3. 38; 9, 34; 18, 4. 15. 18. 36. III. 1, 20; 4, 20. Amoris I. 2, 32. II. 18, 19. III. 1, 43.
Amores Amorum III. 15, 1.
Amores (titulus libri) III. 1, 69.
Amymone I. 10, 5.
Andromaches I. 9, 35.
Anien III. 6, 51.
Anubidis II. 13, 11.
Aoniam lyram I. 1, 12.
Apis II. 13, 14.
Apollo I. 14, 31; 15, 35.
Aratus I. 15, 16.
Arcadiæ virginis III. 6, 30.
Argei Tiburis III. 6, 46.
Argi Argis (abl.) I. 10, 5.
Argiva pompæ facies III. 13, 31. Argivas opes I. 9, 34.
Argo II. 11, 6.
Argolico Orestæ II. 6, 15.
Argus III. 4, 20.
Armeniis latebris II. 14, 35.
Ascræus I, 15, 11.
Asiæ II. 12, 18.
Asopide III. 6, 41.
Asopon III. 6, 33.
Assyrium ebur II. 5, 40.
Atracis I. 4, 8.
Atrei III. 12, 39.

Atrides I. 9, 37. II. 1, 30. Atridis (abl. plur.) II. 12, 10.
Atria I. 13, 19.
Attice (amicus Ovidii, vocat.) I. 9, 2.
Averno III. 9, 27.
Aurora I. 13, 3. II. 4, 43.

B.

Bacchē I. 14, 21.
Bacchus I. 2, 47; 14, 32. Baccho (dat.) III. 2, 53.
Bagoe (vocat.) II. 2, 1.
Battiades I. 15, 13.
Bithynide Melie (abl.) III. 6, 25,
Blanditiæ I. 2, 35.
Borean II. 11, 10. Borea (vocat.) I. 6, 53.
Briseidos II. 8, 11. Briseide I. 9, 33.
Britannos II. 16, 39.

C.

Cæsar III. 8, 52. Cæsaris I. 2, 51. III. 12, 15. Cæsaribus II. 14, 18.
Callimachi II. 4, 19.
Calvo (abl.) III. 9, 62.
Calydon III, 6, 37.
Calypso II. 17, 15.
Camille (vocat.) III. 13, 2.
Canopi II. 13, 7.
Carpathii senis II. 15, 10. Carpathium mare II. 8, 20.
Cassandra I. 7, 17.
Castaliā aquā I. 15, 36.
Castore II. 16, 13.
Catulle III. 9, 62. Catullo III. 15, 7.
Cecropis ales III. 12, 32.
Cephalum I. 13, 39.
Cepheia virgo III. 3, 17.
Ceraunia saxa II. 11, 19.
Cerealis sacri III. 10, 1. Cerealia semina III. 6, 15.
Ceres I. 15, 12. III. 7, 31; 10, 3. 11. Cereris II. 16, 7. III. 10, 42. Cereri III. 2, 53. Cererem I. 1, 9. III. 10, 24.
Charybdis II. 11, 18; 16, 25.
Chlide III. 7, 23.
Cilicas II. 16, 39.
Colchida II. 14, 29.
Corinna I. 5, 9. II. 6, 48; 8, 6; 11, 8; 12, 2; 13, 7; 17, 7; 19, 9. III. 1, 49; 12, 16. Corinnam I. 11, 5. II. 17, 29. III. 7, 25. Corinnā II. 13, 25.
Corsica apis I. 12, 10.
Cres Cretes III. 10, 19.
Cressa I. 7, 16.
Cretæā Idā III. 10, 25.
Crete III. 10, 20. 37.
Creusam III. 6, 31.
Cupido I. 1, 3; 2, 19; 6, 11; 9, 1. II. 5, 1; 9, 1. 47; 12, 27. III. 1, 41. Cupidinis I. 11, 11; 15, 27. II. 9, 33.
Cypassis II. 7, 17. Cypassi II. 8, 2. 22. 27.
Cythera II. 17, 4.
Cytherea I. 3, 4.

D.

Danae II. 19, 28. III. 4, 21. Danaen II. 19, 27.
Danaeius heros III. 6, 13.

Danaus (pater Danaidum) Danai II. 12, 4.
Delia (amica Tibulli) III. 9, 31. 55.
Dianæ (gen.) III. 2, 31. Dianam II. 5, 27.
Dido II. 18, 25.
Dione I. 14, 33.
Dipsas I. 8, 2.

E.

Egeriam II. 17, 18.
Elegeia III. 1, 7; 9, 3.
Elysio colle II. 6, 49. Elysia valle III. 9, 60.
Enceladon III. 12, 27.
Enipeus III. 6, 43.
Ennius I. 15, 19.
Eois (dat. plur.) I. 15, 29. Eois ab Indis II. 6, 1.
Error I. 2, 35.
Erycina II. 10, 11.
Eryx Erycis III. 9, 45.
Euanthe (abl.) III. 6, 41.
Europæ (terra) II. 12, 18.
Eurotas II. 17, 32. Eurota (abl.) I. 10, 1.
Eurus Euros I. 9, 13. II. 11, 9. III. 12, 29. Euris I. 4, 11.

F.

Faliscos III. 13, 35. pomiferis Faliscis III. 13, 1. Falisca herba III. 13, 14.
Furor I. 2, 35.

G.

Gallica turma II. 13, 18.
Gallus (poeta) I. 15, 29. (bis) Galle III. 9, 64. Gallo I. 15, 30.
Gangetide terra I. 2, 47.
Germania I. 14, 45.
Græcine (amicus Ovidii, vocat.) II. 10, 1.
Graio more III. 13, 27.
Gyen II. 1, 12.

H.

Hæmonius heros II. 9, 7. Hæmoniā aquā I. 14, 40. Hæmoniis equis II. 1, 32.
Hector I. 9, 35. II. 1, 32; 6, 42.
Heliconia tempe I. 1, 15.
Herculis III. 6, 36.
Hero Heron (acc.) II. 16, 31.
Hesperiis I. 15. 29.
Hippodamia III. 2, 16.
Hippolytus II. 18, 24. Hippolyti II. 18, 24. Hippolytum II. 4, 32. Hippolyto II. 18, 30.
Homere III. 8, 28. Homero I. 8, 61.

I.

Iasium III. 10, 25.
Iaso II. 14, 33; 18, 23. Iasone II. 18, 33.
Icarii canis II. 16, 4.
Idæo Laomedonte III. 6, 54.
Ide (mons Troiæ) I. 15, 9. Idæ I. 14, 11.
Ide (mons Cretæ) III. 10, 39. Idā III. 10, 25.
Ilia II. 14, 15. III. 6, 47. 54. 61. 62.
Iliacis focis III. 6, 76.
Iliades Romulus Iliadesque Remus III. 4, 40.
Ilithyia II. 13, 21.

Inachus III. 6, 25. Inachon III. 6, 103.
Indis (abl.) II. 6, 1.
Io I. 3, 21. Ion (acc.) II. 2, 45; 19, 29.
Ismarii tyranni II. 6, 7. Ismario Orpheo III. 9, 21.
Isis I. 8, 74. Isim II. 2, 25. Isi 13, 7.
Ithacis utribus III. 12, 29.
Itys II. 6, 10. Ityn II. 14, 30. III. 12, 32.
Iuno II. 19, 29. III. 10, 46. Iunoni III. 13, 3.
Iunonius custos II. 2, 45. Iunonia ales II. 6, 55. Iunonia sacra III. 13, 35.
Iuppiter II. 1, 18. 19. (voc.) III. 3. 35; 8, 29; 12, 33. Iovis III. 3, 30. Iovi I. 7, 36. II. 5, 52; 19, 30. Iove I. 10, 8. II. 1, 15. 17; 19, 28.

L.

Lais I. 5, 12.
Laodamia II. 18, 38.
Laomedonte III. 6, 54.
Lapithas II. 12, 19.
Lares I. 8, 113.
Latine (vocat.) II. 12, 22.
Leda II. 4, 42. Lede I. 10, 3. Ledæ (gen.) II. 11, 29.
Lesbia II. 18, 26.
Lesbis II. 18, 34.
Libas III. 7, 24.
Liber I. 6, 60. III. 8, 52.
Libycas Syrtes II. 16, 21.
Livor I. 15, 1. 39.
Lucifer I. 6, 65. II. 11, 56.
Lucreti (gen.) I. 15, 23.
Luna I. 13, 44. II. 5, 38. Lunæ I. 8, 12.
Lyæus III. 15, 17. adposito Lyaeo II. 11, 49.
Lycoris I. 15, 30.
Lydius cothurnus III. 1, 14.

M.

Macareus II. 18, 23.
Macer II. 18, 3. 35.
Mænadis (gen.) I. 9, 38.
Mænalias feras I. 7, 14.
Mæonides I. 15, 9. Mæoniden III. 9, 25.
Mæonis (i. e. femina Mæonia) II. 5, 40.
Malea II. 16, 24.
Mantua III. 15, 7.
Mars I. 8, 30. 41; 9, 29. 39; II. 9, 47. Martis I. 2, 29. III. 6, 49. Marti II. 5, 28. III. 2, 49. Marte I. 1, 12. II. 14, 3; 18, 36.
Martigenæ (nom. plur.) III. 4, 39.
Martia Thebe III. 6, 33.
Mavors III. 3, 27.
Melie III. 6, 25.
Memnonis I. 8, 4; 13, 3. Memnona III. 9, 1.
Memphin II. 13, 8.
Menandros I. 15, 18.
Mens Bona I. 2, 31.
Milanion III. 2, 29.
Minerva I. 1, 8; 7, 18. III. 2, 52. Minervæ I. 1, 7. II. 6, 35.
Minos III. 10, 41.
Musa I. 1, 30. III. 1, 6. 27; 15, 19. Musarum III. 8, 23. Musis III. 12, 17.
Mycenæo duci II. 8, 12.

N.

Nape I. 11, 2; 12, 4.
Naso I. 11, 27. II. 1, 2; 13, 25. Nasonis: epigr. 1.
Neæra III. 6, 28.
Nemesis (amica Tibulli) III. 9, 31. 53. 57.
Neptuni II. 16, 27. Neptuno III. 2, 47.
Nereida II. 17, 17. Nereides deae II. 11, 36. Nereidum II. 11, 36.
Nereus II. 11, 39.
Nilus II. 13, 9. III. 6, 39. Nile III. 6, 104.
Niobe (abl.) III. 12, 31.
Noctis I. 13, 40.
Notus Noto II. 6, 44. Notum II. 11, 10. Noto I. 7, 56. Notos I. 7, 16. II. 8, 20; 11, 52. Notis I. 4, 12. II. 16, 22.
Numæ (dat.) II. 17, 18.

O.

Odrysium Ityn III. 12, 32.
Olympo (dat.) II. 1, 13; (abl.) I. 2, 39.
Orestes I. 7, 9. Orestæ II. 6, 15.
Orithyiæ I. 6, 53.
Orpheo (dat.) III. 9, 21.
Osiris II. 13, 12.
Ossa II. 1, 14.

P.

Padus II. 17, 32.
Pælignis II. 1, 1. Pælignos II. 16, 37. — Pæligni ruris II. 16, 1. III. 15, 3. Pælignæ gentis III. 15, 8. Pæligna arva II. 16, 5.
Pallas Palladis III. 3, 28. Pallada II. 16, 8.
Paphon II. 17, 4.
Parætonium II. 13, 7.
Parca II. 6, 46.
Paris II. 18, 23. 37.
Pariis iugis I. 7, 52.
Peliaco vertice II. 11, 12.
Pelion II. 1, 14.
Pelops III. 2, 15.
Penates II. 11, 7.
Penelope I. 8, 47. II. 18, 29. III. 4, 23. Penelopes II. 18, 21.
Penee (vocat.) III. 6, 31.
Pergama II. 12, 9.
Phæacia tellus III. 9, 47.
Pharon II. 13, 8.
Phemius III. 7, 61.
Philomela II. 6, 7.
Phoceus iuvenis II. 6, 15.
Phœbas II. 8, 12.
Phœbe (soror Apollinis) III. 2, 51.
Phœbus I. 3, 11. III. 2, 51; 12, 18. Phœbi III. 8, 23. Phœbo (dat.) I. 1, 16. II. 5, 27; 18, 34. Phœbum I. 1, 11. Phœbo (abl.) I. 5, 5.
Phthio regi II. 17, 17.
Phthiotum (gen. plur.) III. 6, 32.
Phyllis II. 18, 32. Phylli II. 18, 22.
Pieridum I. 1, 6.
Pisæā hastā III. 2, 15.
Pitho III. 7, 23.
Pœniceā cerā III. 7, 29.
Pollucem III. 2, 54. Polluce II. 16, 13.
Priameide I. 9, 37.
Priami II. 14, 13.
Priapus II. 4, 32.

Prometheo cruore II. 16, 40.
Protea III. 12, 35.
Pudor I. 2, 32.
Punica rostra II. 6, 22.
Pylius III. 7, 41.

Q.

Quirinus III. 8, 51.
Quiriti III. 14, 9. Quiritem I. 7, 29. Quirites III. 2, 73.

R.

Remus III. 4, 40.
Rhesi I. 9, 23.
Roma I. 15, 26. II. 9, 17. III. 15, 10.
Romanis II. 12, 23. — Romana Tragœdia III. 1, 29.
Romulus III. 4, 40.

S.

Sabinus (amicus Ovidii) II. 18, 27.
Sabinæ (nom. plur.) I. 8, 39. Sabinas I. 16, 49. II. 4, 15. III. 8, 61.
Sacra via I. 8, 100.
Salmonida III. 6, 43.
Saturnus III. 8, 35.
Schœneida I. 7, 13.
Scylla (monstrum marinum) II. 11, 18.
Scylla (Nisi filia) III. 12, 21.
Scythiam II. 16, 39.
Semele III. 3, 37.
Semiramis I. 5, 11.
Seres I. 14, 6.
Simois I. 15, 10.
Sithonia nive III. 7, 8.
Solis II. 1, 24.
Sophocleo cothurno I. 15, 15.
Sulmo II. 16, 1. Sulmonis III. 15, 11.
Sygambram I. 14, 49.
Syrtes II. 11, 20; 16, 21.

T.

Tagi I. 15, 34.
Tantalidē (Agamemnone) II. 8, 13.
Tantalus II. 2, 44. III, 12, 30.
Tatio (abl.) I. 8, 39.
Tellus II. 1, 13.
tempe I. 1, 15.
Tenedos I. 15, 9.
Tereus II. 14, 33.
Thebe Martia III. 6, 33. 34.
Thebe (urbs) III. 12, 15.
Thersites II. 6, 41.
Thesei I. 7, 15.
Thessalico veneno III. 7, 27.
Thessalus II. 8, 11.
Thetis II. 14, 14.
Threcia Bacche I. 14, 21.
Threicii Rhesi I. 9, 23. Threiciam lyram II. 11, 32.
Tibullus III. 9, 5. 39. 60. Tibulle I. 15, 28. III. 9, 66. Tibullo (abl.) III. 9, 15.
Tiburis III. 6, 46.
Tithonos III. 7, 42. Tithoni II. 5, 35. Tithono I. 13, 35.
Tityon III. 12, 25.
Tityrus I. 15, 25.
Tragœdia III. 1, 11. 29. 35. 67.

Triton II. 11, 27.
Triumphe II. 12, 16.
Troia III. 6, 27; 12, 15.
Troianos II. 12, 21. — Troiana propago III. 6, 65. Troiani laboris III. 9, 29.
Tros Troes I. 9, 34.
Tydides I. 7, 31.
Tyndaris (Helena) II. 12, 18.

U.

Ulixis II. 18, 29. Ulixi II. 18, 21.
Urbis (Romæ) II. 14, 16. III. 4, 38. Urbe II. 4, 47; 12, 23. III. 1, 21.

V.

Varro (P. Terentius Varro Atacinus): Varronem I. 15, 21.
Venus I. 1, 7; 4, 66; 8, 30. 42. 86; 9, 29; 10, 19. 33. II. 4, 40; 14, 17. III. 2, 55; 9, 15. Veneris I. 4, 21; 10, 17. 19; 11, 26. II. 3, 2; 7, 21; 8, 18; 10, 29. 35; 18, 3. III. 2, 60; 9, 7. Veneri I. 9, 3; 11, 27. Venerem II. 5, 28; 7, 27; 17, 19. III. 16, 47; 14, 24.
Vergilio III. 15, 7.
Verona III. 15, 7.
Vestalis III. 6, 75.
Victoria III. 2, 45.
Vulcano II. 17, 19.

X.

Xanthus Xanthe III. 6, 28.
Xutho III. 6, 31.

Z.

Zephyrus Zephyro I. 7, 55.
Zephyri II. 11, 41. Zephyros II. 11, 9.

CORRIGENDA.

P.	105.	vs.	17.	*pro*	præces	*legendum*	preces.
«	107.	«	11.	«	meo	«	mea.
«	112.	«	7.	«	concubitam	«	concubitum.
«	137.	«	2.	«	e	«	et.
«	140.	«	2.	«	corrnpta	«	corrupta.
«	140.	«	21.	«	fides	«	fidus.
«	154.	«	4.	«	Δισημείων	«	Διοσημείων.
«	154.	«	14.	«	ferre	«	fere.
«	162.	«	17.	«	n	«	in.

3 2044 010 467 561

THE BORROWER WILL BE CHARGED THE COST OF OVERDUE NOTIFICATION IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW.

5327878

AUG 10 '76 H

CANCELLED

AUG 1 0 1976

CANCELLED

JUL 2 7 1979

BOOK DUE WID

65-00598

JUL 2 7 1979

WIDENER

APR 9 1990

STALL-STUDY

CHARGE

CANCELLED